

1701.

ANNALIUM PROVINCIAE S. JOSEPHI

Ordinis Excalceatorum SSS. TRINITATIS
Redemptionis captivorum.

LIBER V.

SYNOPSIS.

*EX*ponitur novi Seculi varium initium in cruentissima
bella declinans. Ordinis comitia novum dant Generalem
Ministram. Primus Lapis ad construendam Illaviensem Eccle-
siam collocatur. Septima succedit Redemptio captivorum.
Examem apum Viennensi nostro templo inherens omen facit
secuturæ cujusdam felicitatis, atque alia simul quædam me-
morabilia recensentur. Privilegia Patribus Redemptoribus
ab Apostolica Sede concessa ad hanc nostram Provinciam sub
aliqua tamen limitatione extenduntur. P. Isidorus a Vi-
sitatione in Mari Britannico exorta ferocissima tempestate
naufragus vitam finit, ejus hic elogium. Præ agitur de
novo Ordinis cænobio condendo, hospitio primum ex do-
natione ejusdem urbis Archi-Episcopi impetratō. LEO-
POLDI MAGNI Romanorum Imperatoris lugendus obi-
tus. Obit & Comaromiensis nostri cænobii Fundator Ex-
cellentissimus & Reverendissimus D. Ladislaus Episcopus
Nitriensis Regni Hungariæ Cancellarius.

CAPUT I.

*Præsentis temporis status. In Hispania Ordinis Ge-
neralia celebrantur Comitia: in Hungaria verò Primus La-
pis pro nostra Ecclesia Illavienfi collocatur.*



*O*rum ordimur Sæculum ! Annus incipit a partu
Virginis primus post millesimum & Septingente-
simum. Aurea pax, lætæque temporum tranquil-
litas, quæ post tot cruentas cædes & funestas cla-
des non ita pridem in Oriente gratam faciem ex-
tulerat, in Occidente lugenda rerum vicissitudine
in horrida, multorumque Regnorum vastationem degeneravit.
Reli-

Reliquiæ præteriti anni secularis sequentis sæculi malorum fuere femina. Luctus primò, postea cruentissimi belli causam præbuit Europæ mors CAROLI II. Improbis Regis Catholici, quem anno superiore prima dies Novembris mortalium consortio eripuit, & ad meliorem vitam transtulit. Huic nobili funeri tota ferme Europa parentavit non tam lacrymâ, quàm immensa vi sanguinis effusa. Quis crederet? e Regio tumulo emerfit atrocissima tempestas, quæ innumeros mortalium pessumdedit, & in tumultum præcipitavit. Grandis ubique surrexit inquietudo animorum, & stultis in contrarium scissis diversæ protinus, sibi quæque infensissimis odiis oppositæ factiones coaluerunt, dum quisque spes suas, aut jura persequitur. Bellonâ itaque truculentum flagellum quatiente Mars cristas erexit, & madidum adhuc a præteriti sæculi cruore acinacem gaudens resumpsit in propria deinceps viscera grassaturus. Ob unius Regis testamentum oriuntur jam non controversiæ solum, sed dissidia & apertum bellum: Orbis summa colliduntur capita, præcipiti Regnorum vertigine motus & convulsionibus Christianæ Reipublicæ constantur, mutuisque armis & odiorum dira rabie omnia permiscuntur. Sed quid attinet obdura cicatricem refricare, & in recensendis illorum temporum calamitatibus resistantem calamum occupare, præcipue cum id ab aliis cumulatè jam, ubertimque præstitum fuerit, taliumque rerum relatio a muneris mei ratione multum abhorreat. Quamobrem, ut illis tragœdiis prætermisissis ad nostra gressus recipiam, primum annum hujus sæculi cursim exponam.

II. Annus iste, utut aliarum rerum memorabilium sat sterilis, novos tamen Superiores Ordini nostro dedit; evolutò namque sexenniò, quò noster P. Joannes a S. Antonio supremum sacre Religionis nostre Magistratum administravit, Patres in oppido Torrejone de Velasco die vigesima tertia mensis Aprilis ad Generalia comitia congregati eidem in hoc supremo munere communibus suffragiis substituerunt P. Joannem a S. Athanasio virum eximie doctum, ac editis in Regulam nostram primitivam eruditissimis Disputationibus, quas duobus tomis complexus est, clarum.

III. In hoc eodem Generali Conventu P. Joannes a JESU Maria sacre Theologiæ quondam in Academia Salmanticensi Professor, & cœnobii nostri Herbasensis Minister emeritus, nostri Conventus Viennensis Minister designatus est; verum a longè nobis monstratus solum, non datus fuit, nec acceptus, acceptissimus aliàs futurus, nisi vir litteris ac virtutibus longè commendatissimus fractæ valetudinis obtentu officium resignasset, & longinquum in Germaniam iter subire detrectasset, ut proinde cœnobium Viennense altera jam vice suo Pastore viduatum fuerit. Dictus autem P. Joannes sequentibus annis suæ Præfectus Provinciæ ac demum Definitoris Generalis munere potitus fuit. Quamvis autem tot officia in nostro Ordine administraverit, nunquam tamen (quæ erat tanti viri indefessa solertia) a prædicatione Verbi Divini destitit, aut calamo inducias concessit, sed continuè eruditis suis libris Rempublicam Litterariam illustravit; quorum catalogum,

1701.

Mors CAROLI II. Regis Catholici causa bellorum.

Ab his referendis Auctores se excusant.

Ordinis Minister Generalis electus.

Minister Viennensis P. Joannes a JESU MARIA electus resignat officium.

Alia ejus officia.

1701.
Ejusdemque
opera.

cum majorem eorum partem latinitate donatam P. Josephus a S. Maria Austriacus Viennensis typis vulgaverit, huic loco attexere visum est: Scripsit igitur patrio idiomate aliquot tomos, quorum primus & secundus sermones in omnes Dominicas totius anni, tertius & quartus autem conciones habent de omnibus Festis in anno occurrentibus; quintus & sextus item sermones in omnibus dies totius quadragesimae. In septimo tomo Mysterium Sanctissimae TRINITATIS moralibus & praedicabilibus discursibus exponit. Et haec septem volumina opera & studio supralaudati P. Josephi in latinum idioma conversa lucem publicam jam aspererunt. Aliud autem volumen sub hoc titulo: *Liber vitae in seculo la mortis* latine quidem loqui didicit, nondum tamen typis expressum, in manuscriptis adhuc latet. Restant praeterea alia duo volumina ejusdem auctoris *Scala* nimirum *felicitatis & infelicitatis*, & Catechismus pro usu Parochorum, sed Castellano idiomate conscripta, ac nondum, quod scio, in Latinum translata; sed de his fatis.

Minister
Viennensis simul etiam
Commissarius
Generalis.

IV. Caeterum P. Martinus ab Ascensione, qui Leopoli apud Polonos Philosophiam & Theologiam fratribus antea praelegerat, postea vero Conventus Leopolitani, ad S. Nicolaum nuncupati extra muros, cujus ipse, sicut etiam Camenecensis in Podolia praecipuus auctor fuerat, praefecturam gesserat, ad nostram Provinciam evocatus fuit, ut coenobio Posoniensi praeset. Verum priusquam ille Posonium perveniret, everso priore decreto alteri muneris admotus a nostro Generali Definitorio Viennensis Minister declaratur, cujus administrationem deinde die vigesima quinta Septembris suscepit, & paulo post etiam Commissarius Generalis per Austriam & Hungariam renunciatus, utrumque officium difficillimis illis temporibus magna prudentiae commendatione sustinuit. Porro P. Josephus a Sanctissimo Sacramento, qui nunc iterum in Redemptoris officio confirmatus fuit, zelo charitatis motus, civitates Imperiales & aulas Germanicorum Principum percurrit, ut eleemosynas corrogaret, quibus septimam pro captivorum solatio Redemptionem celerius inchoaret.

P. Redemptor confirmatur.

Eleemosynas colligit.

Illaviae Religiosorum mutatione.

V. Illavia quoque suas mutationes sensit; recentiores liquidem Ordinis nostri Alumni absolutis ibidem Philosophiae studiis ad condiscendam scientiam Theologicam Posonium amandati fuere, in quorum locum illi successerunt, qui Viennae post emissam solemniam Religionis vota inde discesserant, ut Philosophiae pariter curriculum cum bonis superis Illaviae auspicarentur; quod domus illa aptissima censeretur novis plantulis sub disciplina Magistri rite instituendis. Prius tamen P. Josephus a JESU Maria Illavienensis Praeses post absolutam coenobii fabricam satagere coepit, ut Primus Lapis pro aedificio Ecclesiae ibidem fundamentis imponeretur; haec enim necessitate id exigente coenobii ambulacrum nobis sacelli & chori usum praebuerat.

Pro Ecclesia
Illavienensi
Primus Lapis
positus die 23.
juli.

VI. Haec autem Primi Lapidis impositio sequenti modo peracta fuit: in argentea lamina, purissimo auro ideo obducta, nullo unquam saeculorum successu rubiginem posset contrahere, in-

inſcripta fuerunt, rudi quidem Minervâ, Fundatorum nomina. Ad diem vigefimam tertiam Julii pro obeunda functione invitati ſunt Reverendiſſimus Dominus Joannes Frideczkius Præpoſitus B. MARIE Virginis de Raik, Cathedralis Eccleſiæ Nitrienſis Canonicus, Archi-Diaconus Trenchinienſis, ſimul & Illavienſis Curio fundamentalem Lapidem ſua benediſtione conſecraturus, & Illuſtriſſimus Dominus Joannes Theodorus Liber Baro de Pfeffershoven ſacræ Cæſaræ Regiæque Majeſtatis Sub-Tribunus, Liberæ Regiæque Civitatis, Arcis & Præſidii Trenchinienſis pro tempore Gubernator Primum Lapidem Fundatorum vicario nomine poſiturus. Cùm dies adeſſet, rebûs omnibûs jam præparatîs, Reverendiſſimus Præpoſitus ſupra laudatus veſtimentîs Pontificalibûs amiſtus, & Eccleſiaſticîs miniſtrîs ſtipatus, impoſitâ priûs argenteâ laminâ Lapidem ſolemnibûs verbîs benedixit; quò factò conſeſtim in erutam foſſam deſcenderunt omnes, in qua Illuſtriſſimus Dominus Joannes Theodorus argenteîs instrumentîs, malleo videlicet, & trullâ, ad hoc munus obeundum peculiariter fabrefactîs, miniſtrante Domûs Architeſto cæmentum, Primum fundamentis immerſit Lapidem, tribûs in honorem Sanctiſſimæ TRINITATIS pro Majorum inſtituto datîs iſtibûs: continuo cæmentarii ſubſecuti alacri animo, ac manibûs feliciter inceptum opus exaltare conati ſunt, nec deſtitiffent, niſi annîs ſequentibûs ſuborta inteſtina bella operis conſummationi interceſſiffent: ſcilicet optima quævis propoſita diſſipantur, & evaneſcunt, quando in cruentas Martis manus incidunt. Sed de his ſatis; nunc ea, quæ ad ſpiritûs ædificationem ſuppetunt, prælibabimus.

1701.
Pro Eccleſia
Illavienſi ri-
mus Lapis po-
nitur die 23.
Julii.

C A P U T II.

Septimam captivorum Redemptionem recenſet.

I. **S**uccedit annus ſecundus ſæculi decimi octavi, qui nobis ubi-rem ſcribendi materiam ſuppeditat. Diximus ſuperiûs P. Joſephum a Sanctiſſimo Sacramento in officio Redemptoris confirmatum fuiſſe: hic itaque poſt numeroſiſſimam illam ante duos annos Byzantii peractam Redemptionem ſaluberrimum fore cenſuit, ſi nunc aliquam Tartariæ provinciam adiret, & detentos in ea captivos redimeret, ſatis nimirum gnarus, neminem illorum in præcedenti Redemptione libertati aſſertum fuiſſe. Ne itaque miſeri illi diutiûs amara torquerentur ſervitute, æquitati & rationi conſonum eſſe judicavit, illis quàm citiſſimè ſubvenire. Quare jam ab ipſo currentis anni principio ad hunc finem ſua direxit conſilia, curâsque omnes eò convertit, ut quamprimùm id fieri poſſet, deſolatis illis & dereliſtis hominibus opem ferret. Per omnes igitur templorum valvas & concionatorum ambones plenum pietatis iter publicavit, & univerſos Chriſtianos ad tam inſigne charitatis opus ſuis eleemoſynis promovendum invitavit.

1702.
Septimæ Re-
demptionis
initium.

In Tartariam
miſtenda Re-
demptio pu-
blicatur.

II. Aſt quoniam præſtituti itineris ratio poſtulabat, ut Valachiam & Moldaviam pertranſiret, & præterea in propatulo erat,
M m m m quan-

1702.

Cæsaris Epistolæ ad Valachiam & Moldaviæ Principes impetrantur.

quantum momentum harum terrarum Principes Redemptionis negotio maturando & perficiendo sua auctoritate adferre valeant (quod non unò jam antea experimentò didiceramus) ideo ad complanandas omnes difficultates, quæ tam salutarî proposito adversaturæ timebantur, P. Redemptor Augustissimo LEOPOLDO I. Romanorum Imperatori supplex factus eidem demissè exposuit, quantis ipse alias, ejusque antecessores ab harum provinciarum regulis cumulati fuissent beneficiis & adjuti præsidis: oravit proinde, ut sua Sacratissima Majestas datis ad eosdem Valachiam, & Moldaviæ Principes litteris Ordinem Trinitarium illis officiosè commendare dignaretur, ipsosque ad ultteriores Redemptioni favores exhibendos cohortaretur, & gliscentem in eorum præcordiis charitatis ignem suâ Epistolâ magis etiam inflammaret, præcipuè cum horum Principum interventu aditus in Tartariam facillimè pandi posset. Augustissimus Imperator Patris precibus benignè inclinatus ad utrumque Principem litteras dedit officiorum plenissimas ejusdem ferè tenoris pauculis exceptis, quarum exemplar nunc subjicio.

LEOPOLDUS.

Cæsaris Epistola.

Lator præsentium P. Josephus a Sanctissimo Sacramento Ordinis Sanctissimæ TRINITATIS Discalceatorum de Redemptione captivorum, & eorum modò constitutus Redemptor prædicavit Nobis singularem Sinceritatis Vestre Liberalitatem, Munificentiamque, ac Pietatem, quam in nupera Redemptione erga ipsos miseros captivos in magnam totius Christianitatis adificationem exercuit. Cum autem iterum redimendorum Christianorum causâ in Tartariam proficisci intendens eum in finem validâ Sinceritatis Vestre assistentiæ & patrociniò indigeat, Nobis denuò pro impertiendis commendatitiis humillimè supplicavit, ipsas verò eò minùs recusare volumus, quò magis aliunde Ejusdem propensio ad exercenda Christianæ charitatis opera, & peculiare desiderii Nostri satisfaciendi studium innotuit. Proinde eandem hîscè obnixè requirendam duximus, velit memoratum Patrem non solum omnibus benevolentie signis prosequi; sed etiam pro securitate itineris necessariis Litteris Passus in Tartariam munire, atque ità dirigere, ut præfatum Redemptionis opus rectè, ac fructuosè peragere valeat. Quod Nobis novum promptitudinis & totius Reipublicæ Christianæ singularis Pietatis argumentum erit, gratiis Nostri Cæsareo-Regiis compensandum. Vienne 11. Martii 1702.

Commeatus Litteræ a consilio bellico & interpretibus.

III. Hîs Pater Epistolis præmunitus a consilio bellico pariter commeatus Litteras petiit, quas non solum promptè obtinuit, verum etiam ab eodem consilio Cæsareum lingue Turcicæ interpretem consecutus est, in cujus societate, assumpto etiam in via sola.

solatium & ad occurrentia ministeria Fratre Joanne a S. Antonio, Germanici, Hungarici & Sclavonici idiomatis optimè gnaro, die decima octava Aprilis post solemnem de more valedictionem Viena discessit, & terrestri itinere in Hungariam contendit. Primam noctem Posonii inter nostros exegit, sequenti verò luce inde digressus Budam perrexit, ad quam etiam urbem vigesimâ quartâ ejusdem mensis feliciter pervenit, ibidemque Illustrissimum Dominum Baronem Curtium, Cæsareum Administratorem, invisit, Consilii Bellici mandata exposuit, & Litteras Eminentissimi Cardinalis a Kollonicz, Archi-Episcopi Strigoniensis, ad eundem scriptas, ipsius manibus consignavit. Exceptus est a Nobili Viro perurbanè, qui Patri omne studium suum ad promovendum Redemptionis negotium obtulit, eidemque aliquot milites adjunxit, qui illum in periculoso itinere comitarentur, & adversus grassatorum insidias tuerentur. His itaque stipatus Pater Redemptor sequenti die post meridiem Danubium superavit, & per Hungariam ac Transilvaniam in Valachiam citato itinere profectus est.

IV. Primâ Junii Bukarestum Valachiæ nimirum Metropolim delati, benignissimè excepti fuerunt adventitii de longinqua terra hospites. P. Redemptor ad Principis alloquium admissus, causam adventûs sui explicuit, & Epistolam Augustissimi Cæsaris porrexit, quam Princeps basîs honoravit, eamque fronti primò admotam, deinde etiam vertici in argumentum summæ venerationis imposuit. Eâ perlectâ jussit Patrem benè sperare, pollicitus, se pro viribus operam daturum, ut ad scopum suæ expeditionis citò pertingere possit: monuit tamen, ut interim in hac urbe subsisteret, & pauculis diebûs ab itineris lassitudine respiraret, se verò curaturum, ne ei quidpiam deesset; quod etiam prolixè præstitit quotidianis alimentis ex aula sua liberaliter assignatis, quibûs Pater se suosque sustentaret.

V. Ne autem Princeps longa comperendinatione Patris desideria differre velle videretur, actutum hujus negotii curam commisit Excellentissimo Domino Constantino Cantacuzeno, viro in rebus gerendis perspicacissimo. Is postquàm per dies aliquot sagaci consideratione omnes loci, temporis, rerumque circumstantias sollicitè perpendisset, consultissimum tandem fore judicavit, si P. novîs a Principe Valachiæ Litteris provîsus Tartariam ingrederetur, Redemptionis autem facultates, ne illis casu, aut infortuniò, vel cujusdam insidiatoris fraudulentis artibûs inter populum barbarum spoliaretur, Bukaresti apud notum & indubitatæ fidei mercatorem interim deponeret, indèque per intervalla tantum depromeret, quantum opus haberet pro expungendis debitis & persolvendis captivorum lytris; ad quem finem obtinendum duos assignavit spectatæ honestatis viros, qui sub Commissariorum nuncupatione pecuniam Redemptionis suæ curæ subjectam haberent, & Patrem, quocunque proficisceretur, alternatim semper comitarentur, ac denique unus eorum toties Buckorestum remitteretur, quoties Pater pecuniis opus haberet. Ne verò Pater ullo eventu fidis hominibûs destitutus Tartarorum injuriis aut dolis

1702.

Discedit Posonium.

Budam pervenit.

Milites securitatis causâ adduntur.

In Valachiam pervenit.

Principis alloquium citò coniequitur. Honor Cæsaris Litteris. Ipse benè habetur.

Consilium dirigendæ Redemptionis instituitur.

1702.

malè pateret, ei centurionem cum duobus militibus adjungendum putavit, qui illius custodiæ perpetim invigilarent. Quodsi verò res nova emergeret, in qua opus esset consiliò, condictum fuit, ut P. Redemptor e vestigio nuncium aliquem ad aulam Principis Valachiae expediret, qui responsum de re controversa ad eundem rursus perferret.

Consilium
non succedit
ob ingens ca-
ptivorum pre-
mium indica-
tum.

VI. Hæc perquam sapienter constituta Pater lubens admittit, consulentis auctoritate permotus. Assumptis itaque ad primam necessitatem complanandam sex florenorum Rhenensium millibus, reliquum in tuto apud designatum mercatorem deposuit. Hòc factò cum socio & interprete aliisque superiùs recensitis affectis in viam se dedit, Budziakensem Tartariam, in qua multos Christianos captivos se reperturum speraverat, petiturus, quam etiam decima octava die mensis Junii ingressus est. Huc delatus statuit confestim Redemptionis negotio manum admove. Oppida proinde singillatim lustravit, & mancipia e Cæsareis ditionibus oriunda sollicitè pervestigavit. Verùm ut sunt lubrica, quæ prima fronte tutissima putantur consilia, post longam inquisitionem in tota hac provincia vix decem captivos indagare potuit, eosque tam enormi pretiò venum oblatos, ut tam iniqua licitatio prudentem quemvis facile deterrire potuisset. Immodicam avaritiam averſatus P. Redemptor adduci haud potuit, ut pro decem captivis coëmendis, tot nummos profunderet, quos quinquaginta redimendis sufficere judicabat, veritus præcipuè, ne Tartarorum postulatis consentiens hac sua facilitate futuris Redemptionibus grande præjudicium crearet. Captò propterea in arena consiliò, statuit aliò migrare, ubi plures esset reperturus captivos & pretiò æquiore. Occurrebat menti primò altera Tartaria, videlicet Taurica Chersonesus, Crimea vulgariter dicta, verùm obstabant multa: regionis nimirum distantia, ad quam ante mensem se perventurum desperabat, sumptus quoque in conducendis & alendis hominibus ingentes, metus prætereà ab illius peninsulae incolis, quos suorum antecessorum experientià edoctus noverat multò nequioris & trucioris esse ingenii, ut proinde non nisi tristes & nefastos eventus ominari sibi posset. Et si verò pro CHRISTO & pauperum Christianorum captivorum salute nihil non pati discuperet, de finali tamen successu sollicitus verebatur, ne tota Redemptio in scopulum impingeret. Prætereà si in Crimeam proficisci decrevisset, rursus alia emergebat dubietas, utrùm videlicet in tanta circumstantiarum conversione novas consiliorum instructiones ab aula Principis Valachiae, prout inter illos convenerat, opperiretur, an pecunias Redemptionis adferri sibi postularet? an has submitti potius in Crimeam conveniret? Prævidebat insuper incertarum opinionum varietates, sententiarum discrepantias, nunciorum in itinere, redituque tarditatem, quibùs rebùs consilia prorogarentur, tempus inutiliter tereretur, sibi que interim ex ingrato otio multiplex tedium, fastidiumque accerſeretur.

Pater in Crimeam proficisci cogitat,

Hæc dubia,

VII. Rebùs ita in ambiguo hærentibùs Pater Redemptor cum adductis secum e Valachia itineris sociis consultare cœpit, quid po-

potissimum in hoc rerum statu fieri oporteret. Iter in Crimeam ob plagas intra mare longius projectas, & crebra latronum per viam pericula dissuadent omnes, securitatis & commodius deportandæ pecuniæ rationem præcipuè habendam esse dicuntur: Valachis insuper cum Crimenfibus nullum intercedere genus commercii testantur. Ad hæc Pater subiecit, quod si verò Constantinopolim Redemptio dirigeretur, faciliórne aliqua methodus & securior occasio pecunias illuc transportandi sperari queat? Annuuit Centurio, dixitque, Principi multò faciliorem methodum suppetere pecunias Constantinopolim, quàm in Crimeam transmittendi. Prætereà famam esse indubiam, ibidem præter nuper eliberatos adhuc innumeros quasi captivos in servitute retineri. Quod licèt a vero minimè abhorruerit, spectatis aliarum Nationum captivis, Cæsareorum tamen subditorum, ut eventus postea demonstravit, pauci omnino in ea urbe supererant, quod Centurionem illum latebat, qui, cum audivisset multos etiamnum Constantinopolim detineri captivos, nihil curiosius de eorum patria inquisivit, sed rem, prout eam acceperat, ad P. Redemptorem detulit. Hic verò captò ex necessitate consiliò Byzantium omnino adire decrevit, ità secum ratiocinatus: quandoquidem ante biennium pro captivis ad transtra damnatis, qui aliis pretiò ac æstimatione præferuntur, centum duntaxat Leoninos in singula capita persolvi, quamvis talis pretii mediocritas Cæsareæ Legationis Auctoritati potissimum in acceptis sit referenda, quia tamen alios quoque satis æquò pretiò comparavi, quid vetat sperare, ut in præsentī negotiatione similis mihi fors non rursus affulgeat? Hæc cogitavit, firmitérque decrevit Constantinopolim potiùs proficisci, quò eum spes & experientia vocabat, quàm in Precopensem Tartariam concedendo parùm aut nihil agere, ibidémque tempus, atque cum tempore sumptus inutiliter prodigere.

VIII. Verùm enim verò in hoc se gravissimè hallucinatum fuisse postea cognovit, dum se bonus Pater nimio spiritûs fervore abripi sivit, atque adeò longa pœnitundine præcipitis consilii sui errorem luit. Sed quis possit futura omnia prospicere, & fortuitis casibus providè semper occurrere? Ast licèt humanis mentibus istud non sit concessum, nimium tamen spiritûs sui fervorem in hac occasione temperare potuisset; latebat siquidem ingens multitudo captivorum e Cæsareis Provinciis oriundorum in Tartaria Budziakensi; nec indicata pretii magnitudo præpropere huic discessui quidquam patrocinator, cum abundè constet, Tartaros pro suo solemnī in assignando mancipiorum pretio ferè insanire, a quo tamen multum remittunt, si primus eorum impetus prudenti contemptu, utilique cunctatione retundatur; ea namque est captiosæ gentis arrogantia & calliditas, ut omnia sua in majus attollat, sensa animi sui astutè celet, miraque vafrie illud nolle se fingat, quod avaritiæ œstrò percita maximè desiderat. Opus est itaque, ut lenta negotiatione eorum cupiditati frenum injiciatur, & eorum avaritia majoris tenacitatis ostentatione repellatur; cum Gretensibus enim gretizandum est, sic ars eluditur arte.

N n n

Frau-

1702.

Constanti-
nopolim iter
decernit pro-
pter sequen-
tes rationes.

Pater suò
consiliò se de-
lufum agno-
vit.

Mos Tarta-
rorum in
commercio.

1702. Fraudi fortassis etiam bono Patri fuerit, quòd tam magnifico comitatu stipatus Tartariam intraverit, qui suspicionem maximarum opum excitavit, ut proinde Tartari ab ipso statim initio spem opulentissimæ nundinationis conceperint, a qua se dejectos nullò modò voluissent. Præterea hæc negotiatio mense Junii tentabatur, eo nimirum tempore, quò mancipia procul ruri degunt, & secundo fœno, metendisque segetibus incumbunt, paucis eorum domi relictis ad familiaria ministeria obeunda: hinc fit, ut, cum Tartari æstivo tempore servorum suorum operâ maximè indigeant, eos non nisi prægrandi & immodicò pretiò vendant, documentò Patribus Redemptoribus relictò, eo tempore inutiles esse de captivorum Redemptione tractatus, utpotè, qui ineunte hyeme optimè plerumque succedunt, quando Tartari, ne servilia corpora tribus aut quatuor mensibus minore lucro alere cogantur, haud difficulter moderato pretio acquiescunt. Non tamen prorsus inutilis fuit hæc Constantinopolim profectio, tum propter plura captanda Redemptionis experimenta, tum etiam ob singularem eventum, quò conjuges quidam, pridem a se invicem divulsi, hac autem occasione in diversis & longè distantibus provinciis coempti, mirabiliter sibi restituti fuerunt, de quibus postea fusiùs loquemur, ac denique ob nonnullas personas apostasiæ labe infectas, Ecclesiæ postliminiò reconciliatas, Clementissimò DEO exantlatos Patris labores tam nobili animarum lucrò compensante.

Majoris pretii causa.

In hyeme levioris pretii sunt mancipia.

Utilis fuit hæc Constantinopolitana profectio propter quædam.

C A P U T III.

Redemptio Constantinopolitana pertentatur, ac tandem in eadem Tartaria Budziakenfi meliore successu perficitur.

Redemptionis pecunias Constantinopolim mitti desiderat Pater.

Constantinopolim per mare proficiscitur.

I. **D**esperato itaque Redemptionis successu in Tartaria Budziakenfi, P. Redemptor Valachos suos stipatores ad Principem remisit, cui simul omnia prolixè perscripsit, quæcunque sibi hætenus inter Tartaros acciderant: addidit quoque, se nunc Byzantium profecturum ob redimendos captivos & numero majore, & pretio æquiore; ac præterea rogavit, ut reliqua pecunia fidorum ministrorum operâ eò transmitteretur, causatus dubiam maris fidem, per quam sibi integrum non esset, totum peculium naufrago huic elemento committere, præcipue, quòd etiam metus esset, ne si illud in navim secum assumeret, Turcicorum nautarum insidiis circumveniretur, & immani aliquò flagitiò vitâ simul & facultatibus spoliaretur.

II. Hac mordaci curâ solutus Renum (Tamorava vulgariter nuncupatur) ad confluentem Istri & Pruth fluminum in Moldavia sitam urbem se contulit, ut opportunitatem aliquam Constantinopolim navigandi circumspiceret. Neque diu moratus ibidem navim huic proposito suo velificantem invenit, quam prima Julii conscendit, eaque vêtus septima die ejusdem mensis Byzantium appu-

appulit. Urbem ingressus de veteribus amicis salutandis sollicitus eos impigrè perquisivit, qui insperato desideratissimi hospitis adventu exhilarati illum officiosissimè exceperunt. Curà deinde ad Redemptionem captivorum conversà, sciscitatus est, num aliqui captivi ex Germanis Constantinopoli attinerentur? Responderunt illi, vix unum alterumve Germanum inter innumera propè hujus urbis aliarum Nationum mancipia reperiendum esse, cumque Turcæ obfirmatò animò malint potius Germanum aliquem in servitute retinere, quàm eum summò licèt pretiò vendere, quòd Germanos tanquàm modestiores magisque morigeros, & ad labores promptiores cunctis aliarum Nationum mancipiis præferre soleant, hinc Patri vaticinabantur, eum in Redemptionis negotio Constantinopoli parùm effecturum. Et ità prorsus contigit, prout illi divinaverant; licèt enim P. Redemptor totis tribus mensibùs in hac urbe moram fecerit, haud plures tamen, quàm tres viros ac duas mulieres moderatò pretiò redimere potuit. Magno nihilominùs Patri solatio fuit duodecim captivorum utriusque sexùs (qui, sive dominorum blanditiis emolliti, sive miseriarum intolerantià superati, Mahometanæ superstitioni nomen dederant) ad salvificam CHRISTI fidem reductio, quamvis ei hoc ausum non sinè magno capitis periculo steterit.

III. Cùm itaque res adeò in arcto versaretur, nec ulla spes affulgeret Constantinopoli Redemptionem perficiendi, nova Patri cupiditas successit in Crimeam transfretandi, & Redemptionis aleam in hac Tartariæ provincia tentandi; retardabatur tamen ab hoc proposito pecuniarum defectu, cujus supplementa a Principe Valachiæ petita impatientissimè expectabat: cùm autem & illis diu frustraretur, ad Principem ejusque Patrum Cantacuzenum & Jannackum Porphyretam (hic Adrianopoli Principis nomine, ejusque negotiorum curandorum causà Sultani curiam sequebatur) litteras dedit, quibùs significavit, sibi fixum prorsus & constitutum esse, in Tauricam Chersonesum transmittere, quòd Constantinopoli non reperiantur captivi venales, unde rogavit Principem, ut Redemptionis pecunia, Bukaresti deposita, sibi quamprimùm Constantinopolim transmitteretur. Respondit Princeps, idamodò minimè securum, nec consultum videri, ob infestas ltronibùs vias. Dominus Cantacuzenus verò rescripsit, se Adrianopoli apud quemdam mercatorem effecturum, ut Pater necessariam pecuniam ab eo mutuò accipere possit. Porphyreta denique Principis Minister in sua Epistola Adrianopoli Patrem monuit, ut si pecunias in Turcica signatura recipere velit, acutùm id sibi renunciaret. Pater, cui pecunia hujus signaturæ in desiderio erat, confestim rescripsit, hoc genus monetæ sibi fore gratissimum, rogavitque, ut ea quantocyùs ad se mitteretur. Verùm nec ad has, nec ad alias identidem repetitas epistolas responsum tulit, tantùm abest, ut vel obolum a postulata pecunia receperit. Inclinate jam Augusto, cùm Pater mordacioribùs identidem urgeretur curis & abeundi desiderio, ob adultam jam ætatem flagraret, cœpit

1702.

Ibidem Redemptionis difficultas.

11. Apostata ad Ecclesiam redacti.

In Crimeam abire cogitat.

E Valachia mittenda pecunia prorsus solatur.

Ad litteras responsum non.

1702. alia ex aliis circumspicere remedia, ut in angustiis solet animus, quibus Redemptionis negotium in ipso temporis limine expediret.

Negotium
urgetur per
Hollandum
mercatorum.

IV. Inter hæc Negotiator agebat Constantinopoli, gente Hollandus. Is fide commerciorum magnis florebat opibus & nominis probitate: P. Redemptor scribendis invanum epistolis & expectatione fatigatus eundem adivit, declaratoque suæ personæ charactere, & apertâ causâ, cujus gratiâ Constantinopolim venerat, illi simul exposuit, Redemptionis pecunias apud Valachiae Principem securitatis intuitu depositas nunc Adrianopoli sollicitari. Ut dictis fidem adstrueret, Principis, aliorumque litteras deprompsit, ostenditque totius rei cardinem apud Porphyretam, ejusdem Principis Ministrum, versari, qui licet suis litteris pecuniam in Turcica moneta se submissurum promptè sponderit, illud tamen hætenus minimè præstiterit; fors quia mercatorem Adrianopoli reperire difficile sit, qui summam non modicam commodatò exhibere velit, aut possit. Hollandus, ut neque in verbis, neque in litteris, neque in ipsius Patris persona aliquid doli subesse vidit, se pecunias cujusvis monetae, quantascunque Pater efflagitaret, suppeditaturum promisit, conficeret tantum interea collybisticas litteras, earum verò executionem suæ curæ relinqueret, pollicitus intra decem dies responsum Adrianopoli affuturum. Probavit Pater datum consilium; missisque litteris ad sæpè dictum Ministrum Principis Valachiae sex millia Leoninorum tantum postulavit, quos alteri pecuniæ, quam etiamnum penès se habebat, conjunctos suffecturos arbitrabatur ad Redemptionem in Crimea expediendam. Has litteras Hollandus mercator suis inclusit ad eundem Porphyretam exaratis.

Ad iter in
Crimen dis-
ponit omnia,
& fratrem so-
cium cum
aliquot re-
demptis in
Budziaken-
sem Tarta-
riam mittit.

Prævidet pe-
ricula in Cri-
mea.

Genf. c. 31.
u. l.

Desiderio
suo ex offen-
sione Ministri
fraudatur.

V. Spe adeò blanda erectus P. Redemptor, firmiùs jam decrevit in Crimensem Tartariam proficisci; quod, ut melius succederet, Fratrem socium cum aliquot Redemptis captivis tanquam inchoatæ Redemptionis testibus Renum ablegavit, ut reliquam pecuniam in eliberandis captivis meliore, quò posset, modo expenderet. Hac occasione rursus ad Principem Valachiae scripsit, ut fratri socio pecunias, quascunque postulaturus esset, Renum transmittere non gravaretur. Equidem bonus Pater prolixè videbat, quanto se periculo immergeret, si in Crimeam transmitteret, ardentissimò tamen Christianis captivis opitulandi zelò exæstuans propriæ vitæ discrimina sùsque deque habuit, quatenus miseris illis opportunum solatium & auxilium adferret. Duo erant, quæ jure metuere poterat, aut facultatum nimirum, aut vitæ prorsus jacturam: ille autem de Divina protectione confisus intrepidò animò neutrum exhorruit, cum Jacobo Patriarcha ità secum ratiocinatus, si perierit pars una, salvabitur altera. Verùm & hoc quoque propositum suo ad extremum caruit successu.

VI. Dimissò in hunc modum sociò cum captivis litteræ a Porphyreta, Adrianopoli datæ, pervenerunt ad Patrem multis commoti animi expressionibus conspersæ, in quibus non sine stomacho de hac interpellatione conquestus est, asserens hanc verius nego-

negotiationem in sui nominis dedecus cedere. Cæterum de petita pecunia altum in illis litteris erat silentium, tanquam hujus rei nulla unquam facta fuisset mentio. Lævum responsum! quod Patris animum non modicè perculit, tum, quòd virum optimum nullatenus laceffitum voluisset: tum etiam, quòd promissæ pecuniæ spem videret prorsus nullam, imò nec mentionem fieri. Unde autem hoc promeritus fuisset, non dispiciebat, utpotè qui probè meminerat, se nihil aliud scripsisse, nisi quod justum, modestum & religiosum erat, idque cum summa honoris observantia tanto viro debita, cui gratum futurum crediderat, quòd hac compendiosa viâ ejus commoditati studuisset. Quid verò Hollandus litteris suis offensione dignum inseruerit, non inquisivit, velut nullâ suâ culpâ patratum. In diversas itaque suspiciones distractus Pater, cum vadium nullum in causâ adeò perplexa reperiret, cui se tutò crederet, ad extremum putavit, hoc purum putumque commentum esse, quò ipse insigniter ludificaretur. Quapropter acrius præter morem in epistolis ad Principem Valachiae datis de hac frustratione conquestus est, noxiâsque moras deploravit, quæ identidem Redemptionis negotio injicerentur: Princeps autem, cum ex hisce litteris Patris mentem haud obscurè intelligeret, ei celerè responsò significavit, omnem Redemptionis pecuniam Bukaresti in tuto consistere, mitti nunc Renum ad Fratrem socium partem unam juxta Patris dispositionem, in alium verò locum nihil transferri posse, nisi manifesto jacturæ periculo rem ipse velit objicere; vias latronibûs esse infestas, viatores infestari, & quotidie cædes audiri. His auditis æstus & angor Patris penitus subsedit, cum intellexisset, Redemptionis facultates salvas & integras assertari, damnavitque in seipso erga insontem Porphyretam ludificationis suspicionem.

VII. Rebûs ita pendentibûs in Crimeam intervertitur profectio; famâ namque passim vulgabatur non dubiâ, ibi omnia ad arma spectare, quòd Crimenses Tartari Turcarum tyrannidem execrati a fide Sultani defecissent, atque adeò promiscuâ cædibûs in insontes æquè, ac fontes grassarentur, nulla cujuscunque conditionis, aut publicæ fidei habita ratione. Unde P. Redemptor, ne temerè hiantibus se indueret periculis, consilium eas terras adeundi prorsus deposuit, & jam non culpæ hominum, sed suavissimæ Numinis providentiæ tribuit remoram illam Constantinopoli sibi injectam, quâ a maximo damno suique perniciæ præservatus fuerat; certum enim habebat, si postulatam illam pecuniam præstituto tempore obtinuisset, universam sceleratis raptorum manibus in prædam cessuram fuisse.

VIII. Igitur mutato consiliò fratrem socium in Budziakeni Tartaria jam agentem quantocyûs subsequi statuit, atque hoc suum propositum Principi per litteras insinuavit, eumque rogavit, ut dicto fratri pecunias transmitteret, quantis opus haberet, & peteret, addiditque se propediem Renum affuturum. Die secunda Octobris parata navis in portu stetit primo afflatu in Moldaviam velificatura, quam pacto naulò ingressus Pater, quatuor etiam captivos

1702.

Propter offendiculum ex litteris.

Aliæ suspensiones.

Ad Principem scribit, & antè respondetur.

Profectio in Crimeam impedita.

Budziakeni Tartariam petit.

1702. sub Turcicarum vestium schemate latentes, puerumque novennem, haëtenus sollicitè occultatum, clam secum introduxit, quasi ob privata sua negotia essent in Moldaviam profecturi. Egressi Constantinopolim totis omnino tredecim diebus navis itet in anchoris, cui Aquilo violentis flatibus sese opponens procedendi facultatem negaverat, quo tempore Pater in urbis conspectu, unde sibi paratam prodicionem imaginabatur, constitutus vægrandibus torquebatur angoribus, ne captivi, puerque ille novennis manifestarentur, ipse verò plagii crimine reus ageretur. Sed hoc DEUS quoque ab ejus capite discrimen avertit. Decima quinta die ejusdem mensis Octobris surgente a meridie in navis favorem Austro prospera velificatione crispantes Euxini Ponti undas intra triduum feliciter perfuscârunt, Ithrique fauces ingressi, post alterum triduum adverso flumine Renum feliciter appulerunt. Navim egressus Pater ex composito, captivis interim, quasi nihil ad se pertinerent, aliâ viâ ad civitatem procedentibus, fratrem socium convenit, intellexitque magnò animi sui solatiò, Tartaros, visis redemptis Christianis Constantinopolî adductis, quotidie plures adventare, suâque mancipia venum offerre, ac de aliquibus jam esse confectos tractatus, aliorum verò Redemptionem nunc sub incude hæere; rem autem fore opinione faciliorem, quòd sequenti die in ædibus cujusdam renegati quadraginta captivi ex Austria ut plurimum, Hungariâque prognati conventuri essent, sibi dari ex illis optionem seligendi quoscunque maluissent: insuper retulit, plurima alibi nunc venalia proflare mancipia & quidem pretiò sat moderatò. Lætus de hoc nuncio P. Redemptor prosequi jussit emptionis tractatus, ejusque dexteritatem ac fidem collaudavit: ipse autem cum captivis jam exolutis in Valachiam tetendit eosdem ulterius procuraturus, & reliquam in subsidium Redemptionis pecuniam allaturus.

IX. Galazium Moldaviæ civitatem ut cum redemptis pertransit, ad telonium cum hominibus gradum sistere jussus pro singulis capitibus Leoninum unum pendere adigitur. Turca ibidem Telonii præfectus, dum sagaciùs singulos captivorum perlustrat, unum deprehendit notum, Mahometicæ sectæ olim nomen dedisse; hunc diris omnibus cum acerba objurgatione devovit, & confestim vincula expedit ad retinendum transfugam, vel aliò vendendum: Captivus ille albæ mentis stupidæque simplicitatis homo datæ sibi instructionis immemor, nimio terrore perculsus, sive facti conscientia pressus, id fatetur cum ingenua tamen protestatione, se vi ad hoc crimen adactum fuisse, semper vixisse, morique velle in lege CHRISTI. Poterat ipse tunc integra fide, donec ab alio accerferetur Judice, prout monitus erat, telonii præfecto respondere, licitum sibi esse in Moldaviam exercendæ mercaturæ gratiâ proficisci. Sed cum ille tanto candore rei veritatem aperiret, multæ subortæ sunt altercationes, quas inter, quia tempus sine fructu labebatur, Pater oblatò munusculò, telonii Præfectum placare tentavit, qui avaritiæ sordibus affluctus, sex Leoninos si penderet, liberum abire posse pronuntiavit; quibus

Patris metus

Favorabilis
ventus oritur.Reni fratrem
socium con-
venit.Iste Patris
solatium a-
liud.Redemptos
Pater secum
ducit in Vala-
chiam.Periculum
incidit Pater
Galazii.Quidam in
telonio de su-
scipia Maho-
metis secta
convincitur,
quod ille fate-
bitur.Munusculò
placatur telo-
ni præfectus.

quibus illicò persolutis tota lis dirempta fuit. Ab hinc finè alia remora Foxiamum, Principis Valachiæ civitatem, iter sunt profecti.

X. Sexta dies erat Novembris, quando P. Redemptor, ut temporis compendium faceret, Foxiamò celerem nuncium ad eundem Principem Bukarestum cum litteris expedivit, qui redemptas inde deposceret, sibi que adferret pecunias: ipse verò in eadem civitate absque ullo periculi metu substitit, quatenus contractam ab itinere lassitudinem quiete temperaret, virisque instauraret. Post octiduum reversus nuncius totam pecuniam fideliter attulit, quo etiam die a fratre socio missus alter adfuit nuncius cum triginta Christianis in Tartaria redemptis: hac usus Pater occasione eidem nuncio redeunti pecuniam tradidit fratri socio deferendam; ac deinde iter ingressus, captivos (jam magnò numerò redemptos) ad Transilvaniæ confinia perduxit, ibique litteras dedit ad regionis Præfectos, orans, ut captivorum redemptorum curam interim benignè susciperent, donec ipse paulò post esset superventurus. Atque hac ratione illos Stephano-polim sive coronam (quæ est nobile Transilvaniæ Præsidium, ubi sistere jussi & aliquot ad itineris commoditatem concessis equis adjuti fuerunt) sub perito ductore præmisit. Hinc e vestigio Pater Bukarestum se contulit, ut Principi ejusque Patruo Cantacuzeno præcipuis hujus Redemptionis fautoribus pro sedula cura, huic negotio impensa, collatisque uberrimis beneficiis gratias rependeret, quas posset maximas; quod, cum præstitisset iis verborum formulis, quas gratus, devotusque animus parturire consuevit, Princeps eum peramanter complexum reciprocis officiis est prosecutus, suumque studium testatus, quò ejus necessitatibus se nunquam defuturum promisit. Litteras etiam, quibus Augustissimo LEOPOLDO Imperatori respondit, Patri tradidit Sux Majestati deferendas. Atque his ita transactis Pater confestim redemptos suos in Transilvaniam est subsecutus, ut illis fortè aliqua re laborantibus ope sua præsto adesset. Coronam delatus omnes incolumes, & inter militarem beneficentiam benè nutritos invenit. Mandata quoque jam illuc pervenerant ab Excellentissimo D. Ludovico comite Rabutino supremo totius Transilvaniæ in militaribus præfecto, quibus jubebatur Cibinium progredi, quò cum pervenisset, omnibus urbanitatis indicis ab eodem comite, cum quo Patri vetus necessitudo jam pridem intercesserat, exceptus fuit; tota namque stirps nobilissima Ordini nostro admodum devota favores cumulare, & officiosa nostris impendere studia nunquam desit. In hac urbe P. Redemptor ad preces ejusdem suæ Excellentiæ moram fecit, fratrisque socii adventum expectavit, ut unito agmine simul proficiscerentur, & alter alteri commodius opitularetur.

XI. Tandem post quinque dies elapsos adfuit quoque frater socius cum reliqua redemptorum turba, quinta nimirum & vigesima die mensis Decembris, CHRISTI Redemptoris Natalitio Festo consecrata. Hic itaque in Domino congregati substitere in-

O o o o 2

1702.

Pater ad Principem nuncium mittit, qui depositas pecunias referret.

30. redemptos mittit frater per nuncium, & per eundem plures remittuntur pecunie.

Mittuntur redempti in Transilvaniam.

Principi Pater pro beneficiis gratias agit.

Litteras ad Imperatorem responsorias deservit.

P. redemptos sequitur in Transilvaniam.

Comitis Rabutini beneficentia.

Frater sequitur.

genti

1702.

Mulier Constantinopoli redempta maritum reperit in Tartaria redemptum.

genti omnium congratulatione, quam geminatis lætitiis plurimum auxit fortuitus casus, planè memorabilis, quem quidem superiore capite strictim attigimus, nunc verò tanquam in loco suo proprio referre decrevimus. Redemerat Pater Constantinopoli mulierem olim quidem nuptam, sed a viginti jam annis a marito sui consortio avulsam; barbaræ siquidem illæ gentes nullam matrimonii Sanctitati reverentiam deferunt. Opportunè autem contigit, ut frater socius nihil minùs cogitans apud Tartaros fortuito casu, aut certè Divini Numinis Providentiâ virum, ejusdem maritum, redimeret, eumque cum cæteris Cibinium perduceret. Ergo dum redempti in unum congregati Sanctissimam TRINITATEM collaudant, sibi que inter tenerrima cordis jubila de recuperata libertate congratulantur, vidit maritus ille suam uxorem, vidit & uxor illa suum maritum. Hærent ambo ad notum vultus similitudinem; ambigit tamen imprimis uterque, quod ætas & dura servitus nonnullas in vultu absterferit lineas. Colloquantur: Vox magis nota firmiorem reddit opinionem; haud tamen adhuc certi, quærent mutuò de nomine, patria & domo. Ex ultrò citròque dictis omne dubium evanuit, & manifestum evasit, illos revera legitimos esse conjuges, præcipuè cum sibi invicem referrent, quæ nemini nisi ipsis solis cognita esse poterant. Mirificus hic eventus omnes incredibili affecit gaudiò; quibus vetus propemodum renovari videbatur Divorum Eustachii & Theopistæ conjugum historia. Verum id non infrequens; Viennam enim reduces quidam occurrere uxoribus suis secunda vice alteri viro nuptis, fœminæ maritos suos cum aliis reperere conjunctos mulieribus, qui deinde discussâ in Ecclesiastico foro causâ ab invicem sejuncti, & legitimis consortibus restituti fuerunt. Filii filiarumque suos agnovere parentes postliminiò reversos, unde Redemptionis beneficium magis suspici & æstimari cœpit.

Frequentior hic casus memoratur.

C A P U T IV.

Alia quædam hujus anni memorabilia colligit.

P. Maurus ex Hispania Viennam revertitur.

I. Primo Vere post diuturnam absentiam P. Maurus a Conceptione Viennam revisit, postquam in Catalonia nostri conventus Barcinonensis Præfecturam aliquamdiu administrasset: qui licet in Americam destinatus fuisset, ut Comiti Erilio electo Pro-Regi Peruano in sacris ministeriis deserviret; hanc tamen ejus professionem præmaturus obitus CAROLI II. Catholici Regis interceptit, exauctoratis, ut plerumque usuvenit, morte Principum, aut Regnorum mutatione Ministris. Cum autem in Hispania in tanta rerum conversione ad turbationem spectare viderentur universa, ille ne patriæ clades & fumantia busta otiosus inspicere cogeretur, in Germaniam ad cœnobium Viennense rediit, ut ibidem cœptam Ordinis propagationem pro viribus fulciret, & in operariorum paucitate opportunum aliquod subsidium adferret.

II. P.

II. P. Martinus ab Ascensione, qui interea Commissarii Generalis simul & Ministri Viennensis munus sustinuerat, jactis fundamentis Viennæ pro residua Ecclesiæ parte construenda opus impigre urgebat; ne tamen materiali fabricæ intentus spirituales omitteret ædificationem, substituto Viennæ in sui locum Vicario Præsidente, qui illius conventus interim curam gereret, ipse in Hungariam migravit Illaviæ & Posonii cœnobîa regularis observantiæ discussione lustraturus.

III. Nonis Maji Viennæ ante peristilium Ecclesiæ nostræ in honorem Sanctissimæ TRINITATIS lapidea mole jam stabat erecta columna, quæ eadem die, hoc est, Dominicâ tertiâ post Pascha dedicata, & ritu solemnî benedicta fuit. Huic columnæ occasionem dedit D. Franciscus Lang, qui supremis testamenti tabulis pecuniam quandam legavit ad columnam in honorem Sanctissimæ TRINITATIS coram aliqua Ecclesia erigendam. Illò defuncto cum hæredes voluntatibus invicem diffiderent, neque satis inter se de loco convenirent, tandem Theologorum consilio usi eandem columnam ad nostram Viennensem Ecclesiam collocare decreverunt, quemadmodum etiam factum fuit. Successivis postea temporibus ex piorum beneficentia acceperunt aliarum devotarum statuarum ornamenta, videlicet Immaculatæ Virginis MARIE DEIPARÆ Conceptionis, S. Rosaliæ Virginis Panormitanæ, Sanctorum Sebastiani Martyris & Rochi Confessoris, Sanctorum quoque Patrum Nostrorum JOANNIS & FELICIS Confessorum & Ordinis Nostri Fundatorum cum columnata lorica & basi. Ardentes nunc utrinque coram hac columna per sabbatinas noctes geminæ lampades privata quorundam pietate lucent.

IV. Cæterum inopinatus quidam casus locum dedit secundissimo omini: exeunte Junio mense, cum cæmentarii, qui in structura nostræ Viennensis Ecclesiæ operabantur, solitâ matutinae cessationis horâ ad panem manducandum consedisent, examen apum genitali relictò alveariò per aëra circumvolavit, & tandem nostræ Ecclesiæ fabricæ versùs Meridiem adhæsit ad sacellum Sanctæ Crucis, quasi ibidem mellificare destinasset, ubi sub idem tempus in picta sacelli tabula colebatur non vulgaris artis CHRISTI cruci affixi simulacrum, quod nunc Constantinopolim ad nostros translatus alteri cuidam ejusdem crucifixi Domini Nostri imagini, multis gratiarum favoribus claræ, locum fecit, de qua in sequentibus prolixius agetur. Aderat tunc opportunè nostros inter operarios nonnemo, qui apiariam callebat; ejus dexteritate cum Regulo examen apum in alveare receptum deinde in viridario nostro mellificavit. Eventus iste fortuitus ab omnibus in bonum omen acceptus fuit. Equidem examen apum, quod in leonis a Samsone occisi faucibus mellificasse reperitur, captiosi problematis & gravium olim dissidiorum extitit causa, ut sacra recenset Historia *Judicum* 14. In præsentî autem materia Leo de Tribu Juda, qui vicit occisus, ipse CHRISTUS crucifixus est: Apes verò, ut cum Pierio Valeriano *libro* 26. *Hieroglyphicorum capitulum* 13. loquar: in ejus faucibus mellificantes prospera & suavia, quæ

Pppp

1702.

Viennæ Ecclesiæ fabrica continuatur.

Cœnobîa in Hungaria visitantur.

Columna SSS. TRINITATIS Viennæ ante Ecclesiam nostram erigitur.

Ejus occasio.

Alie SS. statuae.

Examen apum N. Viennensi Ecclesiæ adhæret.

Bonum omen.

Judicum 14.

Pier. Valer.

subse-

1702. *subsequuntur, indicant.* Id POST SEX annos experti sumus, quo tempore Sanctissima illa CHRISTI Crucifixi effigies in eodem sacello, cui apes adhæsere, mira gratiarum beneficia devotis clientibus impertiri cœpit.

P. Maurus ad
Indiam ex-
peditionem a
Cæsare seligi-
tur.

Plenipoten-
tarius, Theo-
logus & Con-
siliarius Cæsa-
ris creatur.

Litteræ po-
testatis expe-
diantur.

Alia ejusdem
Privilegia.

Ordo lauda-
tur.

V. Eodem annò cum P. Maurus a Conceptione iteratò, ut jam præmisimus, præter omnium opinionem Viennam pervenisset, veteres amici ejus certatim advolarunt ad illum salutandum: ipsi quoque Austriaci Proceres, quibus etiam prius semper charus fuit, & acceptus eundem complectebantur singularibus renovati affectibus indicibus: nec multò post ad ipsius Augustissimi LEOPOLDI Imperatoris alloquium vocatus arcana quædam mandata perficienda suscepit; tanta namque fuerat Imperatoris fiducia de hujus viri prudentia, & exquisita in rebus agendis dexteritate. Tractabatur nimirum eo tempore, ut res ferebat, in sanctiore consilio de Indiarum Occidentalium recuperatione, pro qua evincenda stabat in anchoris ad Magnæ Britanniae litora confœderata Anglorum & Batavorum Classis, quæ præter triginta sex naves bellicas majoris formæ, trecentas minores numerabat, & duodecim armatorum millia huic expeditioni destinata vehebat. Sacra Cæsarea Majestas pro illa, quam de P. Mauro conceperat, fiducia eundem motu proprio & nemine quidem conscio, pro suis agendis primum Commissarium, & ut vocant, Plenipotentiarium in illa expeditione constituit, licet Pater modis omnibus reluctaretur, nec nisi rigidissimò Superiorum præceptò compulsus Cæsari obtemperaverit. Ut autem majori auctoritate negotio sibi commissio in-cumberet, Cæsarei Theologi & Consilarii munere condecoratus fuit, quòd rei necessitas hoc poscere videretur, potestate insuper ei facta, ut duos e statu Politico pro arbitrato suo eligeret, quorum operâ & consiliis in quibusvis difficultatibus adjuvaretur. Sexta & vigesima die mensis Augusti Imperator Augustales sive publicæ fidei litteras expedit, in quibus P. Maurus appellatur Suae Majestatis Theologus & Consiliarius, Cæsaris nomine & Archiducis CAROLI de Austria designatus & constitutus, ut cum adjunctis sibi sociis Regna & Provincias Americae, quæ defuncto Regi Catholico CAROLO II. paruerant, ad Domum Austriacæ fidei & obedientiam reduceret. In eodem Diplomate Sua Majestas, ob devotionem, quam erga Sanctissimam TRINITATEM, & ejus Clientes Patres Trinitarios Discalceatos se gerere profitebatur, dedit & concessit suprascripto P. Mauro plenam facultatem in Indiis Occidentalibus instituendi per se, aut per Procuratores suos & suæ Religionis quæcunque poterit cœnobîa ejusdem Ordinis, ubicunque Benefactoris aut Fundatoris opportunitatem repererit. Mandavit itidem Pro-Regibus, Archi-Episcopis, Episcopis, Gubernatoribus, & dictorum Regnorum, Insularumque Supremis Tribunalibus, ne ullatenus impedimentum quodvis ei obiciant, quinimò omnem favorem præstent & auxilium; quòd ita conveniat ad DEI obsequium, augmentum Ecclesiæ & redimendorum captivorum utilitatem, cui Alumni hujus Ordinis peculiari zelò student. Testatus est præterea Piissimus Imperator, sibi

sibi e crebrioribus experiētiis perspektissimam esse devotionem, exemplarem vitam & doctrinam, qua hi Religiosi animas ad cœlum dirigunt: seriam itaque suam esse voluntatem, ut in illis quoque Regnis & Provinciis sine dilatione plantetur dictus Ordo; non obstantibus quibuscunque prohibitionibus Supremi Indiarum Senatûs. Has Litteras Sua Cæsarea Majestas Nominis Sui subscriptione & Augustissimæ Domûs Sigillô appressô roboravit, ut in ipso autographo, quod ad manum est, videre licet.

1702.

VI. Cum verò P. Maurus ex concessione P. Martini ab Ascensione Commissarii Generalis licentiam obtinuerit Religiosum aliquem e nostris pro socio eligendi, qui eum in tam laborioso itinere comitaretur, P. Isidorum a Visitatione Austriacum Viennensem assumpsit, cui pariter in virtute sanctæ obedientiæ & sub præcepto formali strictissimè injectum fuit, ut eundem P. Maurum affectaretur, ejusque dispositionibus subjaceat ad Sacræ Cæsareæ Majestatis mandatorum executionem, quamdiu ad ejusdem Majestatis servitium opus fuerit. Datâ octavâ mensis Septembris ejusdem anni manu propria & Secretarii subscriptis, sigillôque Ordinis consuetô & officii roboratis.

Ex ordine socium assumendi potestas ei conferitur.

VII. Die duodecima ejusdem mensis Septembris Viennâ in Angliam auspicati sunt iter: cum autem Octobris decimâ Londinum Regiam Britanorum attigissent, præter spem consilia cuncta eversa repererunt, quòd expeditionis systema, a Britannis Batavisque delineatum, spectatis nonnullis clausulis in grave cederet Catholicæ Religionis præjudicium, cui Augustissimus Imperator assentiri noluit, qua de causa tota illa ad Indos evanuit navigatio. Rebûs itâ mutatis P. Maurus alia ab Augustissimo Imperatore accepit mandata, ut videlicet Principi Georgio Hasseldarmstadiensî designato Suxæ Majestatis Plenipotentiaro pro recuperatione Regnorum Hispaniæ se adjungeret, donec Serenissimus Archi-Dux CAROLUS declaratus fuisset Rex Catholicus, ejus Nominis Tertius, quem deinde in Britanniam appulsum comitaretur in Hispaniam, quod & factum fuit, cum P. Maurus Regio ejus lateri deinceps semper adhæserit, utriusque fortunæ particeps.

Eadem expeditione impeditur.

Causa

Alia mandata Cæsaris.

C A P U T V.

E nostræ Ecclesiæ Viennensis suggestu sermones ad populum singulis diebûs Dominicis & Festivis deinceps habentur. Septima Redemptio ibidem excipitur. In solatium captivorum a Sede Apostolica ad nostros conventus extenduntur, & confirmantur quedam privilegia.

1703.

I. Sequitur nunc annus a Natali DEI hominis Tertius supra millesimum septingentesimum, rerum eventu non minùs varius, quàm memorabilis. Hactenus ex ambone nostræ Ecclesiæ Viennensis non adeò frequentes conciones auditæ fuerant, nisi in Dominicis Adventûs & Quadragesimæ, ac solemnioribus per annum

Concionatores pro Dominicis & Festivis diebus Viennæ instituntur.

1703.

Festivitatibus: nunc autem ab hujus anni principio constituti sunt concionatores, qui singulis Dominicis & Festivis diebus verba e superiore loco ad populum facerent, e quibus P. Ignatius a S. Michaële omnium primus CHRISTI Evangelium in Dominicis diebus explanavit: Festivus autem sermones de Mysteriis Domini Nostri JESU CHRISTI & solemnitatibus Sanctorum per totius anni circulum occurrentium in se suscepit P. Stephanus a Resurrectione: uterque verò imposito sibi munere egregiè perfunctus est, ac eò, quò flagrabant lucrandarum animarum zelò, DEI verbum e suggestu frequenti populo annunciaverunt, singulos officii sui commonefecerunt, vitia eradicaverunt, & virtutes Christiano homine dignas implantaverunt, id quod per eorum successores nunquam interrupta serie in hanc usque diem continuatur.

Redemptio
ex Transilva-
nia per Illa-
viam & Poso-
nium Viennam
advenit.

II. Restat, ut adhuc quædam de septima Redemptione, cujus acta superius plenius exposuimus, in medium adhuc proferamus, & paucis saltem explicemus, qualem illa sortita sit finem suo in urbem adventu, receptumque: P. Redemptor Transilvaniæ egressus iter suum direxerat per superiorem Hungariam, multis quidem ob hyemis rigorem incommodis, frequentioribusque remoris, quas ei inexorabilis subsidiorum necessitas ingesserat, fatigatus. Quarta & vigesima die Januarii Leutschoviam tenuerat, nobilem civitatem Hungariæ, amœnissimo loci situ conspicuam & incolis refertissimam. Inde rectâ viâ Illaviam contendit; ubi etiam a nostris, cum cruce & labaris ei obviam procedentibus, ritu solemniter exceptus fuit. Secunda jam vice Illaviæ conspecta Redemptio indigenarum animos magis confirmavit, æstimationemque Ordinis nostri adauxit. Viam deinde ulterius legentes ad Posoniense cœnobium nostrum diverterunt, indeque digressi demum quinta & vigesima die mensis Februarii antemeridiano tempore pomeria urbis Viennensis attigerunt, suumque adventum nostri cœnobii Patribus nuntiârunt. Dies erat Dominicus, quò post vulgatam allapsæ redemptionis famam ingens populi multitudo a cæteris tunc laboribus feriata, & spectaculi raritate excita properè confluit, omnesque plateas, per quas transitura erat Processio, densè occupavit. Ipse quoque Eminentiſſimus Cardinalis Kolloniczius, ut hanc religiosam pompam suâ præsentia ornaret, extra portam Carinthiacam, magnâ Nobilium coronâ stipatus, ei obviam processit. Post meridiem horâ secundâ per eandem Carinthiacam plateam tubis, tympanisque interfonantibus longo, decentique ordine devotis intenti comprecationibus processerunt ad Herbarium forum, inde ad Archi-Ducalè palatium delati Cæsaris jussu paululùm substituerunt, quatenus Augustis Majestatibus copia fieret exactius contemplandi præsentis pietatis spectaculum. Hinc rursus discedentes Minorum plateam perambulârunt, & portam, quæ a Scotis nomen habet, egressi circa solis occasum ad nostram Ecclesiam pervenerunt, ubi ad maximam confluentis populi multitudinem e suggestu dixit P. Ignatius a S. Michaële, cæteræque pro ritu preces sunt peractæ. Demum

Processionem
ornat Eminen-
tiſſimus
Cardinalis
Kolloniczius.

Contio.

Demum Eminentissimus Cardinalis nummos non contemnendò numerò inter pauperes redemptos liberali manu dispersit, ne egestas eis recuperatam libertatem gravem redderet. Deinde redemptis omnibus cœna parata fuit, viri in cœnobio, mulieres verò in externa domo, ad hunc usum conductæ, appositis epulis accubuerunt. Hinc omnes per varias vicinorum ædes distributi aliquot diebùs piorum hospitalitate potiti sunt. Sequenti luce Serenissima D. WILHELMINA AMALIA Romanorum Regina centum quinquaginta Florenos submisit in eleemosynam inter eosdem redemptos viatici locò distribuendos: Austriacæ profectò beneficentiæ monumentum! quod æquè ingenti cum fervore imitati sunt complures illustres viri, fœminæque.

1703.

Cardinalis
eleemosynam
distribuit.Similiter &
Regina WIL-
HELMINA
AMALIA.

III. Redempti fuere hac occasione quinque & octoginta utriusque sexûs homines, inter quos duo & quinquaginta censebantur, qui genus ad Austriam referebant, reliqui tres & triginta e diversis erant oriundi Nationibus, & plerique in ultima urbis Viennensis obsidione in captivitatem abducti annis ferè viginti miserabilem toleravere servitutem.

Numerus re-
demptorum
35.

IV. Cæterùm in hac expeditione P. Redemptor nonnullis angebatur animi scrupulis; præsertim circa ea, quæ suam captivorumque tangebant teneram conscientiam: noverat equidem Redemptionem a Sede Apostolica singularibus ornatam fuisse Privilegiis ac Indultis, cum verò hæc illis duntaxat Redemptoribus concessa sciret, qui in Africam Redemptionis captivorum gratiâ trajiciunt, dubium oriebatur, utrùm nos quoque iisdem uti, potiri, & frui valeamus, qui ad Turcas Europæos & subinde Asiaticos Redemptionis causâ proficiscimur? Quamvis autem Doctores omnes communibus suffragiis propugnent, favores esse ampliandos, & odiosa Decreta restringenda, ne tamen aliquid temerè sibi arrogare videretur, statuit Sedem Apostolicam circa hoc dubium consulere. Supremo itaque Ecclesiæ Capiti supplicavit, ut Privilegia quædam Ordini nostro aliàs communia ad Orientales ac Septentrionales Regiones, in quibus eadem necessitatis ratio militat, extendere dignaretur, quatenus hoc pactò sibi, suisque Successoribus benignè, ac salubriter provideretur. Res in controversiam ducta, ut quibusdam offendiculis occurreretur, parcius, quàm optabatur, processit; veteribus siquidem denuò discussis Pontificum Bullis sequens emanavit Declaratio:

Sedes Apo-
stolica circa
quædam Re-
demptionem
concernentia
consultat.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Aliàs felicitis recordationis Urbano Papa VIII, Prædecessori Nostro pro parte tunc existentis Procuratoris Generalis Fratrum Discalceatorum nuncupatorum Ordinis Sanctissimæ TRINITATIS Redemptionis captivorum Congregationis Hispaniarum exposito, quòd Congregatio prædicta juxta laudabile ipsius Institutum ejus Religiosos in

1703. *Africam, ut Christi fideles inibi in misera Turcarum servitute constitutos, quos poterant, ab illa eximere querebant, eosque in Domino consolabantur, Ecclesiastica Sacramenta illis administrabant, ac eorum denique animarum saluti, quibus poterant rationibus, incumbere valebant, mittere intendebant, Memoratus Urbanus Praedecessor, ut iidem Religiosi in commissio sibi munere huiusmodi ad eorundem Christi fidelium spirituales fructus utilius sese exercere valerent, Supplicationibus dicti Procuratoris nomine sibi super hoc humiliter porrectis inclinatus, Religiosis mittendis huiusmodi, quod altare portatile cum debita reverentia & honore, sub quo in locis Africae duntaxat, honestis tamen & congruis etiam non sacratis, & cum temporis qualitas id exegisset, etiam antequam illucesceret dies, circa tamen diurnam lucem in dictorum captivorum & aliorum fidelium in dictis locis degentium praesentia Missas & alia Divina officia celebrare, omnesque & singulos eorundem locorum utriusque sexus Christi fideles, ipsorumque confessionibus diligenter auditis, a quibuscunque excessibus & delictis, etiam in Bulla, die Coenae Domini legi solita, contentis, ac pro commissis per eos, & eorum quolibet poenitentiam injungere salutarem; nec non his, qui peccata sua confessi, & de illis contriti fuissent, ac Sanctissima Eucharistia Sacramentum sumpsissent, toties plenariam omnium & singulorum peccatorum suorum indulgentiam & remissionem misericorditer in Domino elargiri liberè ac licitè valerent, Apostolica Autoritate facultatem impertitus fuit; nec non eosdem, qui dura servitute in illis partibus oppressi pro tempore fuissent, quotiescunque ab Ecclesia Romana Pontifices, etiam praescripta fidelibus ad illas assequendas formam & statuto tempore in eisdem adjecto proponi contigisset, cum primum illarum ad eosdem captivos notitia pervenisset, aliqua agendo, quae naturali libertate privatum verisimile erat, facere posse, illas omnes consequi, quae alii Christi fideles tempus, & formam exactè in illarum Concessione tradita observantes, consecuti fuissent, eadem Autoritate voluit, & declaravit, & alias prout ex ipsius Urbani Praedecessoris Litteris desuper in simili forma Brevis die vigesima Januarii MDCXXVI. expeditis, quarum tenorem praesentibus pro plenè & sufficienter expresso & inserto habere volumus, uberius*

ad Tartariæ partes, aliâque infidelium loca ad captivos hujusmodi redimendos sese conferre soleant, ac proinde ipse Procurator Generalis prædictas Prædecessoris Urbani Litteras ad loca hujusmodi a Nobis extendi & ampliari plurimum desideret. Nos piis ipsius Procuratoris Generalis votis, ac in re, quantum cum Domino possumus, annuere cupientes, Supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum consilio, & attenta relatione Dilecti Filii Nostri in Alma Urbe Vicarii in spiritualibus Generalis super præmissis eisdem Cardinalibus facta, Fratribus dicti Ordinis ad loca infidelium hujusmodi se se conferentibus, ut altari portatili utantur, & a casibus reservatis in eisdem locis infidelium duntaxat, cum dependentia tamen a nunc, & pro tempore existentibus Vicariis Apostolicis a Sede Apostolica deputatis, absolvere possint, ac valeant, Apostolica Autoritate tenore præsentium concedimus & indulgemus; Salva tamen semper in præmissis Autoritate Congregationis eorundem Cardinalium. Decernentes easdem præsentis Litteras semper firmas, validas & efficaces existere, & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quocunque spectabit, in omnibus & per omnia plenissime suffragari; sicq; in præmissis per quoscunque Judices ordinarios & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari & diffiniri debere, ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, nec non omnibus & singulis illis, quæ in ejusdem Urbani Prædecessoris Litteris concessa sunt, non obstare, cæterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem, ut earum præsentium Litterarum transsumptis, etiam impressis manu alicujus Notarii Publici subscriptis, & Sigillò personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra illud adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die vigesima prima Novembris MDCCLIII. Pontificatus Nostri annò tertio.

(L.S.)

F. Oliverius.

V. Tria sunt, quæ potissimum in superius inserta Bulla Urbani VIII. reperiuntur concessa Privilegia, videlicet altare portatile, absolutio a casibus reservatis, & Indulgentiarum promulgatio.

Compendium
Bullæ atque
Scholium.

Qqqq a

In

1703.

In præsentî Declaratione, five extensione ad Germaniam & Poloniam primum plenè conceditur. Secundum restrictè prorogatur. Tertium planè abrogatur. Ex virtute igitur hujus Declarationis licet Patribus Redemptoribus Constantinopolim, aut in Turciam, Tartariam, Asiam, aut in quæcunque infidelium loca proficiscentibus uti in illis altarî portatili debita cum reverentia: absolvere verò poenitentes a casibus reservatis, præsertim ab hæresis & apostasiæ crimine, in iisdem locis infidelium indultum est, ea tamen cum restrictione, ut hæc facultas dependeat a Vicariis Apostolicis, ibidem in officio existentibus, ne eorum ordinariæ jurisdictioni præjudicium inferatur, aut inopportuna lites excitentur, quæ circa hujusmodi quæstiones diu molestaverant Sacram Congregationem de Propaganda Fide. Nihil tamen his obstantibus, si recursus etiam in scripto foret difficilis, aut in mora periculum, juxta Theologorum placita Sedis Apostolicæ mentem benignius interpretandam arbitror, supplente Ecclesia defectum in ejusmodi singularibus casibus, ne animæ, earumque salus æterna in gravi versetur damnationis periculo, quibus Sancta Mater Ecclesia modis omnibus vult esse consultum. Abrogatum verò nobis penitus est elargiri, & publicare plenarias, aut alias quæcunque indulgentias & peccatorum remissiones, ob eandem Vicariorum Apostolicorum rationem, quibus hujusmodi privilegia ex gratia speciali solent concedi. Cæterum Bulla Urbani VIII. pro Patribus Redemptoribus in Africam navigantibus, non obstante hac restrictione & abrogatione, in suo pleno manet vigore, & integrum fortitur effectum, quia illa perpetua est concessio, neque per istam nostram posteriorem revocatur; quod in breve scholium annotasse sufficiat.

C A P U T VI.

Vita & mors P. Isidori a Visitatione B. Virginis.

Primus Viennæ
Professus.

I. **C**ONCEPTAM ex felice Redemptionis adventu lætitiâ haud mediocriter corruptit præmatura mors P. Isidori a Visitatione, viri prorsus insignis, & primi, qui ex Germanica Natione solemnina Sacri Ordinis Nostri vota nuncupavit, cujus lugendus ex hoc mundo transitus contigit circa finem hujus anni millesimi septingentesimi tertii, isque nos tantò majore luctu involvit, quantò pluribus ille naturæ & gratiæ donis ornatus longum sui desiderium reliquit: absorptus est autem naufragis fluctibus maris Britannici in ipso ætatis flore trigesimum vitæ annum vix supergressus, cui nunc pro meo instituto sequenti elogiò parentare constitui, quod ei sanè jure longè meritissimo debetur, cum ille in vita paucorum annorum breve quoddam in se virtutum compendium exhibuerit: *In flore primo (verbis Plinii utor) tantæ indolis juvenis extinctus est, summa consecuturus, si virtutes ejus maturuissent.*

Plinius Lib.
1. Epist. 9.

Natalis ejus.

II. Natus est P. Isidorus noster Viennæ in Austria a piis, honestis atque commendatissimæ famæ parentibus die vigesima prima Martii

1703.

Martii, annò millesimò sexcentesimo septuagesimò tertiò, & in Cathedrali S. Stephani Proto-Martyris Basilica sacro tinctus Baptismatis lavacrò nomen tulit Isidori Joachimi Antonii. Pater ejus fuit Joannes Ludovicus itidem Viennà oriundus, qui primò sub PHILIPPO IV. deinde sub CAROLO II. Catholicis Regibus militaria inter Legiones Germanicas meruit stipendia, & tribus postea Augustissimis LEOPOLDO, JOSEPHO & CAROLO Imperatoribus ultra annos quadraginta familiaribus obsequiis addictus egregia sua sedulitate se probavit. Mater fuit Maria Anna, quæ Cæsar-Augustæ in Aragonia lucem vitalem hauserat, Viennam subinde delata Joanni Ludovico Patri ejus in conjugem cessit. Ut tranquillum ita fœcundum fuit eis matrimonium, in quo plures educavere proles; major natu filius, præclaræ indolis adolescens, a LEOPOLDO I. Romanorum Imperatore in Hungaria honoratò donatus officiò paucis annis ex aëris gravitate & locorum insuetudine contractò morbò vitam finiit. Secundò genitus Isidorus noster spretis sæculi vanitatibus Ordinis Trinitarii amplexus est Institutum in ipso penè hujus plantationis exordio.

III. Igitur Isidorus noster in parentum domo pueritiam & partem adolescentiæ exegit, ibidemque tam primis in litterarum rudimentis, quàm in bonis moribus ad Christianam vivendi normam institutus fuit. Docile, sed ardens propemodum nactus est ingenium, ita, ut moderatores ingenti sollicitudine ei invigilare necesse habuerint, ne juvenilis ætatis fervore in transversum ageretur, qui nisi maturè temperetur, tantò majori discrimini hominem obicit, quantò perspicacius ingenium nactus est. Postquam Rhetoricis & Dialecticis Institutionibus in Viennensi Universitate animum excoluisset, altius sapere didicit; coepit enim evanidas hujus mundi spes secum mente revolvere, & ingentia pericula considerare, quæ animum inter perpetuos hujus sæculi tumultus undique circumstant, eumque blandissimis illecebris, ceu fascinò quodam dementatum, ad præcipitium æternorum malorum violenter quasi abripiunt. Seriò itaque de capeffendo Religiosæ vitæ statu deliberavit. Equidem ille primò, ut teneræ suæ complexionis consuleret, ordinem eligere decrevit victus vestitusque commodioris; dein verò familiari Patrum Nostrorum conversatione incensus mutavit animum, & de Divina Gratia confusus Discalceatam Religionem nostram, rigidioris disciplinæ & austerioris vitæ studiò florentem, expetivit utriusque parentis annutu, & omnium nostrorum desiderio. Ne autem diu dilata desideria citò rursus exarescerent, die octava & vigesima Junii in festo S. Petri Apostolorum Principis annò millesimò sexcentesimo octogesimò nonò, ætatis verò decimò septimò sacra veste indutus P. Joanni a S. Augustino, cujus vitam superius descripsimus, in sacris Ordinis legibus ac ritibus instituendus traditus est, atque sub optimo Magistro verè pietatis succum atque religionis suxit, bonusque discipulus evasit. Vertente probationis anno die secunda Julii, in Festo DEIPARÆ Virginis Elisabetham visitantis, solemnibus Religionis votis se DEO consecravit in holocaustum

Educatio.

Vitæ deliberatio.

Ordinem nostrum amplectitur.

Ejus Magister.

Solemnia vota proficitur.

R r r r

Primo.

1703. Primogenitus omnium eorum, qui in Germania postea idem secuti sunt vitæ Institutum.

Vita ejus, ac mores.

IV. Professione votorum emissa totus virtutum studio incubuit, enixæque operam dedit, ut quemadmodum cæteros anteibat tempore, sic eis præluceret exemplò: adeò autem anterioris vitæ consuetudinem mutavit, ut omnes, qui prius eum noverant, magnoperè demirarentur ingenuam in illo morum gravitatem, in verbis pondus & in rationibus efficaciam, dicerentque, eum supra ætatem sapere, & in juvenili pectore senile cor circumferre.

Studia.

V. Annò millesimò sexcentessimò nonagesimò primò cum aliis fratribus Philosophiæ studiis Superiorum jussu admotus eximios fecit progressus, & absoluto trieteridis cursu universam Philosophiam invitatis ad hunc actum exteris, qui ejus scientiæ periculum facerent, omnium approbatione defendit, & opposita argumenta acutè dissolvit. Theologiæ Scholasticæ ac Morali dein operam dedit, sub cujus decursu ad preces suorum parentum obtenta Summi Pontificis dispensatione ante canonicum ætatis tempus legitimè sacerdos ordinatus est.

Sacerdos.

Concionator.

VI. Litteris apprime excultus dicendis ad populum concionibus se totum devovit. Id munus erat, ad quod suapte naturâ propendebat; severiore igitur censura sibimet ipsi intentus cavet sollicitè, ut prius faceret, quæ populum postea ex ambone doctorus erat; conceptuum præstantiâ, doctrinæ ex sacris utriusque Instrumenti & Sanctorum Patrum libris haustæ soliditate, vocis suavitate, & actionis gestuumque elegantia brevi tempore famam celeberrimorum Urbis Viennensis Concionatorum æquavit. Ad alias quoque Ecclesias in majoribus solemnitatibus ad dicendum invitatus conceptæ de se expectationi & Auditorum desiderio cumulatissimè satisfecit; cuncta siquidem verba ejus indefessam industriam ac vividissimum ingenium spirabant, quibûs vitiorum fugam, virtutum studium persuadere, & corda hominum ad DEUM trahere nitebatur.

Animas ad salutem instruit.

VII. Quamobrem non pauci fuere, qui ejus arbitrio conscientie arcana credebant, ejus consilia sequebantur, atque in suis dubiis & mentis perplexitatibus ad eum potissimum confugiebant, quos ille impensè semper adjuvit non tantum verbis in sacro poenitentiae tribunali, sed etiam scriptis ad absentes epistolis, quando necessitas styli officium exposcere videbatur; accidit enim sæpenumero, pias & devotas personas gravibus vexari conscientie scrupulis, quæ nisi exactâ prudentiâ eis succurratur, in majores prolabantur animi angustias. Repertæ sunt epistolæ, quas ad devotam matronam dictaverat, salutaribus monitis & doctrinis refertæ, in quibus prolixè videre licet, quanta ejus fuerit prudentia in suggerendis consiliis, quanta dulcedo in solatiis, quanta denique circumspexio & perspicacia in detegendis callidi hostis, sub specie boni animas in transversum agere soliti, insidiis. Confortavit eam insigniter, instruxit mirabiliter, erudivit subtiliter, ut hæc solæ epistolæ, quamvis nulla alia ejus pietatis argumenta suppeterent, ubertim testatum faciant, illum in directione animarum omnibus numeris absolutum Magistrum fuisse.

VIII.

VIII. Quantoperè autem ille Superis charus fuerit, & quam proclives habuerit in sua vota Divos, sequens eventus declarabit: Annò millesimò sexcentésimò nonagesimò septimò gravissima conflatus ægritudine, quæ in erysipelas declinans vultum ejus, & omne caput occupaverat, facies ejus ita intumuit, ut vix attantes posset discernere. Huic incommodo accesserat nausea & ciborum omnium fastidium, quod continuû febrium paroxysmîs, aliisque symptomatîs auctum totò jam quatrîduò ei dormiendi facultatem ademerat, & ad mortis confinia perduxerat. Nulla itaque humana medicina quidpiam proficiente, unus ex astantibus Patribus ejusdem misertus suavit, ut in extrema hac necessitate cælitum opem imploraret, atque in hunc finem attulit illi iconem Venerabilis Servi DEI P. N. Thomæ a Virgine, viri ab innumeris prodigiis tam in vita, quam post mortem patris clarissimi: Monuit autem ægrum, ut se DEO commendaret, totòque fervore intercessionem hujus Venerabilis Patris imploraret, quem sibi non minùs propitium esset sensurus, quam alii in suis necessitatibus persenserant. Hîs dictis imaginem ejus capiti supposuit: ille autem tam salutare consilium haudquam aspèrnamdum ratus, mentem protinus ad invocandum hujus Venerabilis Viri patrociniû convertit. Vix ille orationem Dominicam cum Salutatione Angelica absolverat, cùm, ecce tibi! suavissimò somnò indormiit. Post horæ non ampliùs quadrantem expergefactus ingentem vim sanguinis per nares effudit, quo levatus onere per quatuor continuè horas tranquillum nactus est somnum. Sæpiùs deinde per diem sanguinis effluxu repetito morbi simul malignitas excessit, & ex eadem hora convaluit, Medicis sanctè asseverantibûs, id non nisi ope Divina effici potuisse. Paucis postea lapsis diebûs integrè restitutus sanitati, DEO Sospiatori suo grates persolvit. Intercessoris quoque sui ac Patroni non immemor, ut ei pro viribus gratias rependeret, vitam illius Venerabilis Patris, olim in Castellano idiomate operâ P. Francisci a S. Bernardo Generalis Definitoris & Chronographi descriptam, ac Madriti annò millesimò sexcentésimò septuagesimò octavò typis evulgatam, in Germanicam linguam transtulit, quæ deinde nonagesimò octavò ejusdem sæculi annò Viennæ impressa fuit; ubi ille nunc recensitum sanitatis beneficium *capite 25. libri quarti paginâ 538.* de se ipso fusiùs exponit. Eximius deinceps privata sua devotione cultor permanfit Venerabilis P. Thomæ a Virgine, eandemque pro majori DEI gloria fervidè apud multos propagavit. Insuper ad sui, suorumque solatium ex corpore Venerabilis P. Thomæ a nostro Cœnobio Madritensi, in quo idem corpus requiescit, digiti articulum multis precibûs impetravit, quæ Reliquiæ apud nostros Viennæ reverenter asservantur, & ad ægros deportatæ multis salutem attulerunt, illis præsertim, qui naturali somnò destituuntur, cui malo levando peculiaris noscitur esse Patronus & Advocatus.

IX. Cæterum rerum Ordinis vel augendarum vel ornandarum fuit studiosissimus, quotidie sollicitus, ut Sacræ Religioni nostræ,

Rrrr 2

vel

1703.
Ope Divina
a gravi morbo
liberatus.

Vitam V.P.
Thomæ typis
edit.

Cultor ejus-
dem Benefi-
cium refert.

Reliquias e-
jusdem obti-
net.

Rerum Ord-
inis studiosus.

1703. vel Ecclesiae aut cœnobio aliquod suâ operâ decus accederet, atque adeò nova semper, instar parturientis, in mente sua versabat molimina, quæ apto tempore pro Ordinis bono in lucem proferret. Socordiam remîs velisque fugiebat; noverat enim virulentiorē eâ non esse in Religione pestem, quâ mens putresceret, ac in deterrima vitia degeneraret. Vulgatissimum illud priscorum Anachoretarum adagium ei quoque frequenter in ore fuit, scilicet: *laborantem ab uno solo demone vellicari, Desiderans & torpentem a plurimis impugnari, & facilius corripî, ac corrumpi.* Rectè monet S. Bernardus Eugenium III. Pontificem, olim discipulum suum: *Cavendum est in otio otium. Fugienda proinde otiositas mater nugarum, noverca virtutum.* Quibûs præmissis hæc deinde cœdro & adamante digna verba subnectit: *Inter seculares nuga, nugasunt: in ore Sacerdotis blasphemie.* Adeoque succissivas, quas ab aliis majoris momenti occupationibus liberas nactus est horas, non rebus frivolis impendit, sed bonarum litterarum studiò consumpsit, legendo nimirum vel scribendo, quæ aut ejus, aut proximorum salutis essent aliquando profutura. Chronica nostri Ordinis ex Castellano idiomate in Germanicum vertenda suscepit, quo opere ultra dimidium producto, cum sistere, & in aliud tempus differre laborem jussus fuisset, filum scriptionis protinùs abruptit, quod alioquin procul dubio ad calcem perduxisset, si per tempus & occupationes alias licuisset. Justum volumen concionum ejus in nostra Viennensi servatur Bibliotheca, cui si curæ secundæ accederent, opus utile & prælo dignum facillè judicaretur. Plura alia ingenii monumenta orbis litterarius ab eo sperare potuisset, nisi mors invida legitimum ante tempus vitæ filum, & omnem inde spem præcidisset.

His labores.

An Britanniam mittitur.

CAROLUS III. Rex Catholicus declaratur.

Eundem in Lusitaniam comitaturum navim ingressum.

X. Sed enim intercepti hos, aliòsque præclaros conatus ejus Superûm & Superiorum dispositio, quâ anno superiore P. Mauro a Conceptione, Cæsaris jussu gravium negotiorum causâ (ut jam præfati sumus) in Magnam Britanniam profecturo, comes datus est, & cum eo Londinum in Angliam migravit. Elisîs deinde ob immoderata confœderatorum postulata hisce consiliis Londini tantisper moram fecerunt, donec novis ex sacratori Cæsaris consilio mandatis instruerentur. Duodecima die mensis Septembris annò hujus sæculi septingentesimò tertiò Serenissimus CAROLUS Archi-Dux Austriæ, Augustissimo LEOPOLDO Patre Cæsare & Fratre Serenissimo JOSEPHO Rege Romanorum jus ad Hispaniæ Monarchiam in illum transcribentibûs, Rex Catholicus declaratur, & debitum sibi Regnum capeffiturus Regio comitatu stipatus Viennâ in Angliam discedit, per mare Britannicum in Lusitaniam penetraturus, cujus adventum interim Classis Anglica ad Portsmouth otiosa opperiebatur. Ineunte Decembri tota jam expeditio in procinctu steterat, unde & P. Maurus cum itineris socio P. Isidoro ad naves contendit, ibidémque aliquot diebûs substitit; sed cum interim repentinum quoddam negotium emerfisset, in continenti pertractandum, statuit cum eodem socio navim egredi apto tempore rediturus. Versabatur autem in illa navi Chirurgus quidam

quidam sectæ Lutheri ab incunabulis deditus. Hunc P. Isidorus multis rationibus convictum, & familiari conversatione emolli- tum ad suscipiendam Catholicæ fidei veritatem jam propemo- dum inclinaverat. Quamobrem ne hæc anima, de cuius salute impendiò satagebat, se absente perverteretur, & a meliore pro- posito gressum revocaret, P. Mauro insinuavit, se, si ejus bonâ veniâ fieri posset, in navi remansurum, ut chirurgum illum in Orthodoxæ fidei capitibus plenius erudiret, de cuius conversione magnam spem concepisset. Id ipsum rogabant & cæteri Catho- lici, ne utroque simul sacerdote destituerentur, & spirituali ani- mæ solatiò. P. Maurus, quem futura latebant, nec quidquam sinistri suspicari poterat, horum precibus flexus facillè annuit, dièctoque vale, quod supremum fuisse ille minimè putaverat, na- vim reliquit.

XI. Interea validissima insurrexit tempestas, & procellis im- maniter sævientibus æquor omne ita excanduit, ut nautas tanto periculo impares ars quoque destitueret, & Oceanus in furias concitatus novis suis, quos identidem ex imo ebulliebat, flu- ctuum montibus, præsentissimum cunctis intentaret naufragium. Quassabantur navigia undarum violentiâ invicem collisa, totò- que triduò dirissima fluctuum rabie jactata. Septima die Decem- bris in vigilia Immaculatæ Conceptionis Virginis DEIPARÆ tan- tis motibus agitatæ concussæque sunt naves, ut rimas tandem ubique egerint, latisque fissuris hiantes, cum procellarum tyran- nidi aliquamdiu restitissent, ad extremum denique ab irato æquo- re absorptæ fuerint, omnibus simul vectoribus submersis, præ- ter undecim homines in actuariolo salvatos, quos inter duo erant domestici Hasso-Darmstadiani Principis Georgii, qui, ut tantæ cladis nuncium ferrent, naufragii tabulam adepti in litus emer- serant. Hi postmodum Viennam reduces enarraverunt, ut P. Isidorus noster illa in suprema lucta fervidi animarum Zelatoris officium sustinuerit exhortando ad delictorum pœnitudinem uni- versos, peccata confitentibus aurem præbendo, contritos absol- vendo. Atq; in hoc terribili temporis articulo illud tandem est con- secutus, quod hætenus desideraverat; memoratus siquidem ille Chirurgus conspecta periculi magnitudine oculos denique Ca- tholicæ veritati aperuit, & ejuratâ hæresi per Sacramentum pœ- nitentiæ Ecclesiæ reconciliari voluit, qui licet eodem naufragiò periêrit, salvata tamen meliore sui parte, animâ nimirum, mor- tem meritò in lucro reputare potuit. Ipse porrò P. Isidorus, quamdiu super undas eminuit, elata CHRISTI cruci affixi ima- gine ad ultimum usque spiritum salutaria verba in hoc naufragio morituris inclamabat, eosque ad peccatorum contritionem, & concipiendam de Divina Misericordia fiduciam excitabat. Hæc ipsi nobis Viennæ singillatim cum fide retulerunt, qui præsentibus cum mari simul & morte luctati fuerunt, idemque periculum fe- liciter & mirabiliter evaserunt.

XII. Infaultus hic nuncius P. Maurum, inenarrabili confixit mœrore, utpotè comite suo & fido Achate destitutum: nautas proinde

1703.

In navi ma-
net studiò ho-
minem ad fi-
dem conver-
tendi.

Valida inma-
ri tempestas.

absorbet ferè
omnes.

P. Isidorus in
suprema lucta
animarum ze-
lator.

Ad fidem
conversus u-
nus.

Corpus Patris
queritur, nec
inventus.

1703. proinde mercede conduxit, ut velivolo cursu mare percurrerent, viderentque, num fortè adhuc cum fluctibus luctanti possent opem ferre, aut saltem exanime ejus cadaver in litus ejectum sibi adferre Christianæ sepulturæ honorificè mandandum; sed omni adhibita sollicitudine ac investigatione nusquam repertum fuit. Majori indè luctu oppressus P. Maurus diu planxit tanti viri jacturam, DEOQUE pro ejus animæ salute ad aras sacrificia obtulit complura: neque multùm cunctatus per proximum veredarium litteras Viennam transmisit, quibûs tristem hunc acerbæ fortis eventum nostris Religiosis nunciavit, ut pro anima defuncti Patris juxta sanctam Ordinis consuetudinem preces & hostias salutaris DEO offerrent. Tragica tantæ calamitatis fama Viennam delata multorum excivit lacrymas; multi enim erant, qui ejus desiderio tenebantur, illùmque efflctim amabant, & colebant ob eximium morum candorem & conversationis suavitatem: ipse autem cujus virtus jam extra invidiam posita est, in cœlo (ut piè credimus) triumphat, & in DEO portum nactus tranquillum stabilemque in æternum exultat.

Pro ejus anima suffragia.

C A P U T VII.

1704. *In nostra Viennensi Ecclesia Instituitur Sanctissimæ TRINITATIS Redemptionis Captivorum Sodalitas.*

Tacendum de malis Hungariæ hujus temporis.

SSS. TRINITATIS Mysterium omnibus cæteris supereminet.

Ordinis Nobis titulus.

Alia communis nunciat.

I. **A**Nnus agitur æræ Christianæ millesimus septingentesimus quartus, qui malorum feracissimus res nostras in Hungaria adeò afflixit, ut parùm ab exitio abfuerint. Sed ne illos carpere nunc, & perstringere videamur, quorum culpâ totum Regnum innumeris calamitatibus inundatum fuit, manum consultò a tabula retrahimus, eamque potiùs ad illa describenda convertimus, quæ Viennæ pro gloria Sanctissimæ TRINITATIS lætissimo successu gesta fuerunt. Qui dixerit, Sanctissimæ TRINITATIS Titulum totius Sacrosanctæ nostræ Fidei esse compendium, nihil a scopo aberrabit; in eo namque velut encyclopædia quadam circumscribuntur universa nostræ salutis mysteria, Lex & Prophetæ, omnesque rerum divinarum thesauri. Nihil sublimius Sanctissima TRINITATE aut excellentius in cœlo, sive in terra excogitari potest. Hunc omnium gloriosissimum Titulum Sacer Ordo noster Urbis & Orbis suffragiò ab ipsis suis incunabulis a primis Sanctis nostris Patribus ad filios, velut propriam hereditatem, derivatum forte longè felicissima accepit, eundemque a multis retrò sæculis constanter semper præsetulit, ac in finem usque mundi absque invidia, aut jactantia conservare conabitur.

II. Hunc eundem Sacratissimum Titulum ad Divini Nominis gloriam Ordo per quatuor Orbis partes communem fecit omnibus cujuscunque statûs, sexûs, ordinis & conditionis hominibus; omnes enim, quotquot sub eodem labaro datis nominibus militare voluerunt, in Sodales admittit, confratres dixit, bonorùmque participes effecit,

1704.

effecit, sequentibus præsertim ex causis nimirum: ut Divinæ TRINITATIS cultus majoribus quotidie incrementis augeretur, & Christianus populus sub dira infidelium servitute gemens collatis subsidiis citius avitæ libertati restitueretur; ad hunc etiam finem Summi Pontifices hanc Confraternitatem amplissimis Privilegiis, Indultis, Indulgentiis & peccatorum remissionibus, bonorumque operum participationibus dotârunt, exornâruntque, ut fideles ad eam suscipiendam magis provocarent, & allicerent.

Causæ, propter quas.

III. Temperatur ea Sodalitas certis quibûsdam Regulis, ac præter alias peculiare functiones quotannis solemnes celebrat hominum cœtus seu conventus. Hætenus ad participationem tantarum gratiarum Sodales magnò quidem numero, sed privatim duntaxat confluerant, quos inter numerabantur præcipui cum ipso Cæsare omnes Augustissimæ Domûs Principes, Archi-Duces Austriæ, & præterea ingens multitudo Procerum Ecclesiastici æquæ, ac Politici Statûs, qui Albo Consodaliū inserti Ordinis Schema gerebant in pectore, statutoque precum pensò, atque aliis quibûsdam muniis piè persolutis concessarum Indulgentiarum potiebantur thesauris. Nihil tamen hucusque publicis solemnitatibus peractum fuit, quia idoneò locò sive majore templo adhuc destituebamur: nunc verò, quòd grandior Ecclesia multis ornamentis decora ad culmen jam pervenisset, primas curarum partes obtinuit consodalitatis ejusdem institutio. Hanc sibi provinciam magnò vendicavit zelò, parique successu P. Ignatius a S. Michaële Austriacus Viennensis, qui eo tempore Dominicis diebus verba ad populum faciebat, adjutus præsertim munifica pietate Excellentissimæ Domine Mariæ Terefiæ Comitissæ Kinskiæ, e quinque Ecclesiensium Dynastarum, vel ut publicus loquendi mos obtinuit, olim Baronum, nunc Comitum Familia oriundæ. Hæc Matrona Nobilissima Divini honoris incensa studio nullis pepercit sumptibus, ut omnia, quæcunque dictus Pater sive ad necessitatem, sive ad splendorem requirebat, manu liberalissima suppeditaret.

Privata devotione hucusque excolebatur Sodalitas,

Publicè instituendam suscepit P. Ignatius.

IV. Sic rebûs omnibus, ut pius patriæ mos fert, dispositis accessit etiam Celsissimi Principis D. Francisci Antonii e Comitibus Harrachiis Episcopi Viennensis Auctoritas, & publica instituendæ Sodalitatis facultas. Hæc obtentâ coacta sunt prima hujus Confraternitatis Comitia, in quibus Augustissimus LEOPOLDUS I. Romanorum Imperator electus fuit Protector Confraternitatis, Excellentissimus verò D. Ferdinandus Bonaventura, Comes Harrachius, primus Parens noster benevolentissimus, Rector: Designati quoque fuerunt aliorum munerum & officiorum administratores, utputà Assistentes, Consultores, Thesaurarius, non inania officiorum & dignitatum nomina, ex Viris spectatissimis & præcipuis nostri Ordinis Benefactoribus. Porro P. Martinus ab Alcenfione Commissarius Generalis huic Sodalitio cum potestate præfecit prædictum P. Ignatium a S. Michaële, quem Præsidis titulò decoravit; eidemque ac successoribus ejus ab ordine designandis, nec non & ipsis quoque officialibus, superiùs recensitis,

Facultas Ordinarii.

Officia Sodalitatis.

Electio.

1704. potestatem contulit perpetuam electionem instaurandi, quoties ob mortem veterum officialium novi essent surrogandi.

Princeps ara
perficatur.

SSS. TRINI-
TATIS Festu
Titulare.

Publica So-
dalitatis In-
stitutio.

V. Erigebatur sub idem tempus in Ecclesia nostra princeps ara per celeberrimos artifices Andream de Puteo, Societatis Jesu Religiosum, Andream Lanzanum Sacri Romani Imperii Equitem, Mediolanensem Pictorem, illo Architectonicam & Opticam dirigente, hoc verò elegantissimam tabulam figuris in pariete illustrante, artis industria in hoc opere tam insigniter se effervere, ut Vienna quid perfectius hucusque non viderit. Instabat festum solemnissimum totiusque Ordinis nostri Titulare, Sanctissimæ nimirum ac Individuæ TRINITATIS, in quo publicè auspicanda erat prima institutæ Sodalitatis functio: acceleratum itaque sine artis dispendio est opus principis aræ, ad illum diem solemnem omnibus numeris absolvendum, quod reapse etiam supra omnem expectationem præstitum fuit.

VI. Illucescente denique die decima & octava mensis Maji, quæ eò annò Dominicam Sanctissimæ TRINITATIS Orbi Christiano attulerat, innumerabilis hominum multitudo ad nostram Ecclesiam confluit, devotione erga Sanctissimam TRINITATEM, & piissimæ Institutionis novitate excita, cui concursui mirum in modum obstetricabatur sudum, innubèque cœlum, quod serena facie sua devotorum corda ad invisum hætenus spectaculum invitare videbatur. Huic initium dedit Admodum Reverendus P. Eugenius Ordinis Minorum Conventualium S. Francisci, & in urbe ad S. Crucem Ordinarius Divini verbi Præco, eleganti ferme panegyrico; quò absolutò magno splendore & apparatu prodixit universa Sodalitas cum noviter electis ministris & officialibus. Hos sequebantur Religiosi nostri linteati & sacro cultu amicti, rem divinam ad Principem aram operaturi; quò ut perventum est, omnesque suo ordine in præparatis subselliis confederunt, dicta fuit e loco editiore Oratio Germanica ab Adolescente Academico, qui de antiquo Sanctissimæ TRINITATIS instaurando cultu, de præsentis ejusdem Confraternitatis Institutione, de amplissimis gratiis, privilegiis, indulgentiis, ei concessis, copiosè differuit. Hic postquàm loqui desisset Secretarius Confraternitatis Electiones Augustissimi Protectoris, Excellentissimi Domini Rectoris, aliorumque Dominorum officialium promulgavit, cujusvis nomen & officium sequente tubarum & tympanorum applausu. Ad extremum dictus Orator Academicus epilogum orationi attexit Congratulationibus longè plenissimum. Demum Hymnus Augustino-Ambrosianus & solemne Sacrificium inter exquisitos musicorum modulos devotissimè decantatum fuit, qua normâ singulis annis anniversaria hujus Divinissimi Mysterii Festivitas æquali semper pietatis tenore, & populi affluxu ad hæc usque tempora nostra colitur.

Augustissimæ
Majestates ad
nostram ve-
niunt Eccle-
siam.

VII. Post breve temporis interstitium ad nostram Ecclesiam pervenerunt Augustissimæ Majestates LEOPOLDUS I. Romanorum Imperator cum Augusta conjugē ELEONORA MAGDALENA, Serenissimo Romanorum & Hungariæ Rege JOSEPHO I. &
WIL-

WILHELMINA AMALIA Regina Coniuge; MARIA ELISABETHA, MARIA ANNA & MARIA MAGDALENA Archi-Ducibus Austriæ longum post se Nobilissimorum Procerum & Illustrium fœminarum Syria trahentes. Hi postquam præparatam orchestram occupassent, Excellentissimus & Reverendissimus Dominus Ladislaus Mattyasovski, Nitriensis Episcopus & Aulicus Regni Hungariæ Cancellarius Pontificali ritu inter densam assistentium Ministrorum Ecclesiasticorum catervam ad aram principem operatoratus est, quem Cæsarea musica exquisitâ vocum & instrumentorum symphoniam comitabatur. Absolutô Missæ Sacrificiô Augustissimæ Majestates cum Serenissima Domûs Austriacæ Familia sub meridie ad commune cœnobii Nostri triclinium concessere, ibidemque cum nostris Religiosis suô locô se refecerunt, solô P. Commissariô Generali ex mandato Cæsaris mensæ Suarum Majestatum assidente.

Prædent in
nostro tricli-
nio.

VIII. Post meridiem statò tempore P. Ignatius a S. Michaële Confraternitatis Præses, præsentibus jam Augustissimis Majestatibus & Serenissimâ Familiâ, alterum sermonem ex ambone habuit. Decantatis deinde vespertinis laudibus Splendidissima processio instituta fuit, quæ extra fores Ecclesiæ longo ordine per plateæ circuitum ad nostrum rursus templum reversa est eodem Præsule Pontificalia munia administrante, Augustissimisque Majestatibus cum tota nobilitate aulica religiosam hanc pompam comitantibus. Tandem Sole jam in occasum declinante pro coronide pomeridianæ devotionis, quæ ultra tres horas tenuit, Lauretanæ Litanie decantatæ fuerunt inter undantem accurrentis populi multitudinem, quæ hujus Solemnitatis magnificentiam allesta undequaque confluerat. Demum cum, sacra hac functione ad calcem perducta, Augustissimæ Majestates abire pararent, P. Martinus ab Ascensione Commissarius Generalis ad fores templi consistens Augustissimis totius Communitatis nostræ, utrumque latus stipantis, nomine gratias, quantas grata mens potest maximas, pro tanta dignatione officiosissime persolvit.

Functiones
post meri-
diem.

Augustissimæ
Majestatibus
gratis perso-
lutæ.

C A P U T VIII.

Acta præliminaria ad erectionem Cœnobii Pragensis referuntur.

I. **D**Um Ordo noster decumanis malis in Hungaria confictatur, & res ejus nondum benè solidatæ temporum iniquitate magis atteruntur, plurimum indoluit, cum videret, spes suas marcescere, & profectus suos temporum injuriâ forde dissipari, ut proinde illi nihil reliquum manserit, quam cum Regio Vate expectare & suspirare *tempus beneplaciti DEUS*. In tanta calamitatum congerie, ut patientis Innocentiæ cum tempore uberiùs reflorescunt præmia, non destituit Misericordia Domini in tribulatione patientes & orationi instantes, sed nos consolata est eodem tempore alibi non modicis accessionibus, ut faciliè nostrum

Post graven
ærumnas spes
major conso-
lationis.

Isal. 64. v. 14.

Ad Rom. 12
v. 11.

1704. quisque secundiora ominaretur, divinatione ex illis verbis Jobi formata, *Quasi aquarum, quæ præterierunt, recordaberis; & quasi meridianus fulgor consurget tibi ad vespèram, orieris ut Lucifer.* Id sanè mirabili Divini Numinis Providentiâ in nobis, nihil tale cogitantibus, videre licuit, qui, cum ob immodicas afflictiones ad vespèram nos pervenisse arbitraremur, præter opinionem novo fulgore recreati sumus, & quidem primò ex occasione instituendi cœnobii Pragensis apud Bohemos, cujus fundatio non pridem spontè oblata, hòc annò cœpta, & sequentibus feliciter obtenta fuit, ut nunc paucis exequemur.

Occasio Fundationis Pragensis.

Dobritzium.

Notitia cum A. R. D. Crocin Crucigero.

Pragam professio instituta.

Charitas Ord. Crucigerorum cum rubea stella.

II. P. Joannes a Cruce Hispanus ex oppido campi Martii, quod vulgò Manzanares dicitur, oriundus, eo tempore ab epistolis fuerat supradicto P. Commissario Generali. Erat ille quoque secretæ pietatis minister apud Illustrissimam Virginem Dominam Eleonoram de Mansfeld filiam Principis Fundani. Hæc connubii fœdere non multò post illigata Illustrissimo Sacri Romani Imperii Comiti Domino Carolo de Mansfeld, Principis axioma æquè deinde consecuto, cum gentilitia prædia in societate mariti adire constituisset, in viâ comitem & conscientiae arbitrum eundem P. Joannem expetivit, pisque desiderii sui compos effecta mense Septembri die vigesima nona in festo S. Michaëlis Arch-Angeli anno superiore millesimo septingentesimo tertio Viennâ Dobritzium in Bohemiam perrexit. Ad hunc locum veredariis equis citò delati pro gentis urbanitate factus est ibidem ingens vicinorum nobilium concursus ad salutandos loci Dominos: qua occasione P. Joannes familiarem notitiam contraxit cum admodum Reverendo Domino Francisco Crocin Sacri militaris Ordinis Crucigerorum cum rubea stella, Knynensi Administratore, cui Ordinis nostri Institutum, Redemptio captivorum, quod ex relatione P. Joannis didicerat, adeò probabatur, ut efflictim optaret Religionem tot numeris salutarem etiam Bohemiæ implantari, atque in hunc finem varia media & idoneas rationes proponeret.

III. Præsente deinde anno hujus sæculi quarto, cum in mense Januario præfato admodum Reverendo Domino Francisco Crocin necessitas incumberet ob certa quædam negotia Pragæ proficiscendi, urbem quinque duntaxat milliaribus Dobritzio distantem, eundem P. Joannem ad societatem itineris invitavit, cui ille etiam promptissimè morem gessit, non tam celeberrimæ civitatis visendæ cupidine, quàm Religionis propagandæ zelò stimulatus, quòd speraret, hac occasione se aditum aliquem ad conceptum propositum perficiendum reperturum. Pragæ in Xenodochio eorundem Crucigerorum cum rubea stella, ad pedem pontis exstructo (Hic namque præstantissimus Ordo sub Regula S. Augustini hospitali charitatem mirificè excolit) uterque non aliter ac in propria domo excepti mutuïs certabant se prævenire officiis: colebatur autem præcipuè religiosis affectibus P. Joannes; sunt namque Venerabilis hujus contubernii viri, ut jam insinuavimus, erga externos quoscunque perquam comes, & officiosi, CHRISTUM suscipere in pauperibus gaudent, & ambiunt, velut ab antiquissimis temporibus suis a Majoribus accepere.

IV. Alterius Hospitalis Neo-Pragæ, quod *Novi* nomen habet, præfecturam gerebat admodum Reverendus Dominus Joannes Beczkovius ejusdem Ordinis Crucigerorum, Vir patriarum apprime gnatus rerum, & sedulus indagator, diuturnâ experientiâ clarus, & multis voluminibus editis commendatus, dudum nostris, qui in his temporum angustiis Posoniô stipis corrogandæ causâ Pragæ commeaverant, insigni benevolentia addictus. Noverat is longo incolatu omnem propè urbis statum, ejusdemque in consiliis prudentia nobis utilis videbatur ad præstitutum negotium feliciter transigendum. Ad hunc itaque ab admodum Reverendo Domino Crocin adductus P. Joannes noster eidem aperuit, quid in animo versaret, illiusque sententiam efflagitavit. Is autem pro vetere erga Ordinem nostrum studio huic proposito impensè favit. Etsi verò non paucæ nec parvæ ipso in limine occurrerent difficultates, varia tamen ad propositum indicavit loca, & proposuit media, exactèque discussit, quid obesse, quid prodesse utrinque possit. Inter cætera loca Sacellum S. Lazari in commodo loco situm, quod a Magistratûs jure pendebat, communî suffragiò facilius impetratu judicabatur. Hæc sententiâ ab omnibus comprobata. Admodum Reverendus Dominus Crocin, ut rem ulteriùs promoveret, Germanum fratrem suum, ejusque generum Dominum Matthæum Wenceslaum Lhotak de Lhota, eo tempore Neo-Pragensis urbis consulem, viros præstantes & multæ auctoritatis, consanguinitatis, affinitatisque titulis sibi devinctos haud ægrè induxit ad patrocinium hujus causæ suscipiendum. Horum igitur favore animatus P. Joannes nullò hucusque instructus mandatò, sed Ordinis sui propagandi studiò zelòque impulsus ea de re ad Amplissimum Novæ urbis Magistratum supplicem conscripsit libellum, in quo postquam Ordinis Institutum, Redemptionem nimirum captivorum fusiùs exposuisset, simulque ostendisset messis ubertatem, & operariorum paucitatem, ad extremum obnixè supplicavit, ut Amplissimus Senatus desertum propè S. Lazari Sacellum Ordini nostro conferre dignaretur. Hæc ille in chartam conjecit, & paulò post, die scilicet decima octava mensis Januarii hoc supplex schediasma Senatui porrexit. Re obiter in Senatorum confesso discussa responsum quidem prodixit in nostrum favorem, at verbis duntaxat conceptum, & nullâ scripturâ expressum: cum autem P. Joannes, hisce verbis non satis acquiesceret, vigesimâ secundâ ejusdem mensis altero libello supplice post gratias copiosissimè persolutas pro benevolo Senatûs responso, obsecravit, ut tam benignam concessionem scriptis confirmare dignaretur. Senatus intellecta Patris voluntate die vigesima quarta mensis Januarii re pensiculiùs examinata eidem libello supplici ad calcem adscribi jussit, Amplissimum Senatum ad petitionem sibi factam, ut proximè adsitum Sacellum S. Lazari Ordini Sanctissimæ TRINITATIS de Redemptione captivorum pro extruendo cœnobio concederetur, præcedenti responso integrè insistere, attamen cum causa hujusmodi ulteriore, & omnium quidem, quos tangit, deliberatione, cunctarumque

1704.

Ad propositum dirigens negotium per A. R. D. Beczkovium.

Sacellum S. Lazari locus commodus.

Factores querantur.

Offertur supplex libellus.

Responso verbis datur.

Alter Libellus supplex.

Altera responsio in scriptis.

1704. circumstantiarum exacta consideratione indigeat, ac præterea consensus Suae Sacrae Cæsareæ Majestatis necessario requirendus præcedere debeat, sibi nunc integrum non esse, decretorium responsum proferre, & mentem categoricè aperire.

Ambigua licet fovere tamen videtur.

V. Ambigua nonnihil & perplexa hæc respondendi ratio videbatur, e qua tamen facile inferri potuit, Senatū, quantum in se erat, ejusque potestatem attinebat, nostram causam fovere, quod pro nunc ad præstitutum finem consequendum Pater satis esse rebatur; quia jactō hoc præliminari fundamentō, & posito semel primo gradu gressūque negotium semper ulterius promoveri poterat.

Procuratoria facultas submittitur.

VI. Porro hæc omnia agebantur insciō penitus P. Commissariō Generali, cujus partes sunt admittere ejusmodi novas Ordinis colonias, aut moliri, quem cum P. Joannes huic cœpto minimè adversaturum prælagiret, ipse tacita ex facultate rem in grande Ordinis emolumentum redundaturam aggressus est: Ne tamen hoc factum P. Commissarium diutius lateret, litteras confestim Viennam expedit, in iisque non solum Senatū Rescriptum transmisit, sed etiam rogavit, ut, quod caput erat, Cæsaris consensus celeriter impetraretur. Lætus hoc nunciō P. Commissarius Generalis, rem adeò insperatam, & quasi divinitus inspiratam, quàm pridem in votis habuerat, ambabūs, ut ajunt, ulnis amplexus est, & P. Joanni actutum in hac causa Procuratoriam Facultatem delegavit, ut opus feliciter inceptum legitime prosequi, & ad finem tantoperè desideratum perducere valeret.

C A P U T IX.

Propositum instituendi Pragæ Ordinis Cœnobium instantius urgetur.

Cæsari supplex Libellus porrigitur.

I. P. Commissarius Generalis Viennæ, ne inutiles compererent, confestim ad suas partes respexit: Augustissimo igitur Cæsari LEOPOLDO I., velut Regi Bohemiæ, supplici libello Senatūs Neo-Pragensis Rescriptum exposuit, Suaeque Regiæ Majestatis Clementissimum assensum humillimè efflagitavit. Imperator, ut erat Ordini nostro addictissimus, annuente similis benevolum Pragensem animum Sibi placere ostendit; verumtamen ut in hoc negotio ordinatè procederet, ad Regni Bohemiæ Consilium, in quo talia postulata prius ventilari consueverunt, illud remisit; interea verò P. Commissarium Generalem benè sperare jussit, & de bono successu securum reddidit.

Regius favor cum jure ordinis.

Ad Regiam Locumtenentiam petendum refertur.

II. Supplex itaque Libellus noster Inclyto Bohemici Regni Consilio exhibitus magna cum sollicitudine fuit examinatus: cum autem ad resolutorium responsum proferendum, exquirenda quæ essent aliorum Regni tribunalium suffragia, sive arbitria, Clementissimus Cæsar ex Consilio ad Regiam Locumtenentiam (Tribunal est ex duodecim præcipuis Regni Proceribus conflatum, quorum

quorum in dicundo jure magna est Auctoritas) die vigesima prima Februarii ejusdem anni expedivit Decretum, quod subneſto : 1704.

LEOPOLDUS.

Dilecti Fideles : ex acclusis vobis fusiùs licet intelligere , quaaliter Nobis Patres Trinitarii Redemptionis captivorum pro Clementissimo consensu , quatenus in Regia urbe Noſtra Neo-Praga in loco prope Sacellum S. Lazari ſito ſibi conventum erigere liceat , ſupplicaverint. Ut autem ſupplicantibus deſuper debitum reſponſum decernere valeamus , idcirco vobis hiſce clementiſſimè demandamus , ut Loci Ordinarium hoc in negotio audire, & exploratam ejus mentem unà cum hoc PP. Trinitariorum poſtulado maturè conferre , ac demum Nobis veſtrum arbitrium ad Noſtram Regio-Bohemiæ Aulæ Cancellariam unà cum præſentium accluſarum remiſſione, quamprimùm obſequentiſſimè expedire ſtudeatis. In quo adimplebitis Clementiſſimæ Voluntatis Noſtræ Mandatum. Viennæ 21. Febr. 1704.

Cæſareo-Regiū Decretum

III. Hoc Cæſareum Decretum, ubi Pragam perveniſſet, a Regia Locumtenentia Reverendiſſimo ac Celſiſſimo Principi Archi-Epiſcopo Pragenſi, Domino Joanni Joſepho e Comitibus de Breüner, intimatum fuit ſequentibùs : Decretum intimatur,

Quemadmodum Sæ Sacræ Cæſareæ, nec non Hungariæ Bohemiæq; Majestati Clementiſſimo Domino noſtro Patres Trinitarii Redemptionis captivorum per ſuum adjacens humillimum poſtulatam ſupplices facti ſunt, & pro Clementiſſimo conſenſu, quatenus in Sæ Cæſareæ Regiæq; Majestatis Neo-Civitate Pragenſi in loco prope Sacellum S. Lazari ſito conventum fundare valeant, humiliter efflagitarunt. Sua Majestas verò, quid in hoc negotio Sæ Celſitudini tanquam Loci Ordinario videretur, id ipſum poſtulatam de data Viennæ 21. Februarii currentis anni Clementiſſimè remiſit, ut hoc adjacens exemplar pluribùs exhibet. Quod Clementiſſimum Mandatum, dum Celſitudini Veſtræ hiſce communicamus, exploratæ mentis arbitrium deſuper expectantes, & Divinæ Protectioni Noſ committentes manemus. Ex Caſtro Pragenſi 9. Maji 1704.

IV. Celſiſſimus Princeps Archi-Epiſcopus intellecta Cæſareæ Majestatis voluntate Reverendiſſimo ſuo & Venerabili Conſiſtorio ſupplicationem noſtram perpendendam & diſcutiendam tradidit : antequàm autem hoc fieret, Conſiſtorium juxta Canonum Decreta petitionem noſtram priùs reliquis Religioſorum Ordinum in urbe Pragenſi Cœnobiis exponendam cenſuit, atque in hunc finem Reverendiſſimus & illuſtriſſimus Dominus Daniel Joſephus Mair Vicarius Generalis & Officialis ad ſingulorum aſceteriorum Præfectos in pari forma ſequentes Litteras expedivit.

Petitionem ſecundùm Canones Regularibus communicat.

Uuuu

Admo-

1704.

Admodum Reverende ac Religiose Pater.

Intendunt praevia ad Suam Sacram Caesaream Regiamque Majestatem Principem & Dominum D. Nostrium Clementissimum humillima petitione Religiosi PP. vulgò Trinitarii, Redemptionis Captivorum hic Neo-Pragae in loco propè Sacellum S. Lazari sito novum Conventum fundare.

Cum autem altissimè sata Sua Sacra, Caesarea, Regiaque Majestas rem, & negotium hoc pro arbitramento ad Suam Reverendissimam Celsitudinem, D. Archi-Episcopum (Titulò) utpotè Ordinarium remiserit, jam dicta Sua Reverendissima Celsitudo verò, quatenus hac in parte alios praesertim Mendicantes Religiosos audiremus, nobis gratiosissimè demandare dignata sit.

Ea propter hoc ipsum Paternitati Vestrae hisce communicamus, cum hac annexa intimatione, ut Paternitas Vestra cum suo Conventu (siquidem intentum hocce monasterium Patrum Trinitariorum non nisi post lapsum multorum annorum extrui potest) quae ab eis requiritur, suam declarationem in modernis angustissimis temporibus non fundet, sed taliter se declaret, an in futuris temporibus melioribus cum iisdem Patribus Trinitariis suam subsistentiam & necessaria media se habituros confidant? quam declarationem dum in proximo a Paternitate Vestra in scriptis praestolaturi sumus, ita de reliquo eandem unà Nobiscum Divinae tutelae commendamus. Pragae in Cancellaria Archi-Episcopali die 13. Junii an. 1704.

Reverendissimi ac Celsissimi S. R. Imp. Principis D. Joannis Iosephi Archi-Episcopi Pragensis (tit.) Vicarius in Spiritualibus Generalis & Officialis, totumque Archi-Episcopale Consistorium Pragense.

D. J. Mair

V. G. & Officialis.

Regulares
rique sus-
pensi viden-

V. Circularis haec Epistola, ut ad singulos coenobiorum Praefectos pervenit, nonnullos eorum mentis sagacioris postrema clausula, seu exceptio nempe: ut impresentiarum ad temporum angustias non reflectant, animò suspendit, quia eà haud obscurrè Venerabilis Consistorii singulare erga nos studium innuebatur; ideoque non diu morati nostrum plenae charitatis Institutum & Ordinem prolixè pariter commendaverunt, beatiora tempora praestolantes. Alii ex adverso nonnihil tergiversabantur, suaeque sive inopiae, sive pusillanimitate praecupati querulabantur, accumulato pauperum religiosorum numero necessariam annonam indies angustiorum futuram. Sed quidquid illi obniterentur, quoniam numerum suffragantium non aequabant, spes nobis affulsit non modicum coeptum

ceptum negotium intra paucos dies ad optatum exitum perducendi. Secus tamen evenit, re in multos menses protracta. Hinc cum tantum animorum frigus sentiremus, facile divinare potuimus, præclara initia nostra haud diu substitura, sed ob volubilem hominum fidem certissimum periculum aditura. Unde ne obstinato propemodum algore omnia marcescerent, opus fuit Cæsaream Majestatem denuò interpellare. Ergo rursus ante Augustale solium supplici libello prosternimur jacentem causam redanimaturi, idque tantò operæ pretiò, ut confestim ad Regiam Locumtenentiam alterum emanaverit sequens Decretum:

1704.

Causa tamen
protrahitur.

LEOPOLDUS.

Dilecti Fideles: vobis recentî adhuc constabit memoriâ, qualiter de dato 21. Februarii præsentis 1704. anni Patrum Trinitariorum Redemptionis captivorum pro Clementissimo consensu, quatenus in Regia urbe Nostra Neo-Prage in loco propè Sacellum S. Lazari sito sibi conventum fundare valeant, humillimam porrectam supplicationem vobis Clementissimè remiserimus, undæ mandaverimus, ut desuper mentem Ordinarii Loci perciperetis, & quod ipsi videretur, Nobis iterum obsequentissimè referretis.

Alterum Cæsaris
Decretum
urgens negotium.

Quia tamen defactò nullam Nobis ejusmodi a vobis factam informationem obvenisse, & contra verò præfatos Patres Trinitarios sue pristinae humillimæ supplicationi, juxta acclusum constanter insistere noscimus, idcirco vobis hisce Clementissimè mandatum volumus, ut petitam informationem maturare, & Nobis quantocytus ad Nostram Regio-Bohemie Aule Cancellariam obedientissimè transmittere non intermittatis; in quo adimplere noveritis Nostræ Clementissimæ Voluntatis Mandatum. Viennæ 2. Septembris 1704.

VI. Ne verò prolixiore cunctatione hoc rursus eluderetur Decretum, Regia Locumtenentia aliud huic simile expedivit ad Magistratum Neo-Urbensem Decretum sequenti (ut ajunt) peremptoriò Mandatò.

Perempto-
rium Manda-
tum.

Consuli & Senatui Regiæ Civitatis Neo-Pragensis de Excellentissimorum Regiorum Dominorum Locumtenentium gratiosò Mandatò communicandum & intimandum venit, si fortè ex parte illorum in ordine ad præsens quasitum aliquid insinuandum foret? Illud cum restitutione communicatorum ad Regiam Locumtenentiam quantocytus referant, & quia Sua Majestas tenore præsentis acclusi Clementissimi Rescripti rem acceleratam cupit, idcirco Consul & Senatus judicium tantò magis scient maturare.

Ex Consilio Regiæ Cancellariæ Bohemie Prage

26. Septembris 1704.

Uuuu 2

CA-

1704.

CAPUT X.

*Negotium prætensionis Cœnobii Ordinis nostri Pragensis sufflaminatur.*Magistratus
aperte adver-
satur.

I. **R**etardabatur adhuc aliquantulum causa nostra apud Magistratum propter autumnales vacationes, quo tempore a gravioribus negotiis feriantur Tribunalia: res autem tanti momenti, cui plures jam adversari cœperant, longiore consultatione indigebat. Tandem die decima tertia mensis Novembris in Neo-Urbensi Curia post acerrimam nostri petiti discussionem Magistratus de priore in contrariam abiit sententiam, quam his ferè verbis publicari curavit, videlicet Patres Trinitatis sub 18. & 22. mensis Januarii anni præsentis pro relinquendis sibi supradictis desertis locis supplicasse, ab se autem juxta allegata incertum responsum tulisse, negotiò ad exactiorem cum Senioribus Communitatis consultationem remissò, nihil minùs cordi habendo, quàm eorum petito annuere, aut ad finem hunc afferendum iisdem desideratum locum venditionis titulò cedere velle, cum juxta datæ resolutionis tenorem intra breve temporis spatium Senioribus Communitatis ad ordinariam Consilii sessionem accersitis petitem dictorum Patrum uberius propositum, ac ponderosè examinatum fuit. Nempe

Propter rationes has,

I. *Desideratas, & numero contribuentium contentas desolatas domos ad commercium benè sitas esse, & pro*

II. *Tempore pacis cum civitate communicaturis facile cœmies restaurari posse. Quò*

III. *Non solum bonum publicum promoveretur, quia etiam vassallis ibi degentibus in contribuendo magnum exinde sublevamen resultaret, cum e contra*

IV. *Casu quo ille locus in personas Ecclesiasticas alienaretur, ab illo tanquàm ad manus mortuas devolutò nihil unquam pro publicorum onerum civitatis subsidio sperandum foret: quapropter sententiam quasi in unum coaluisse, memoratas domos præviè affixà venditionis chartà gremiali civitatis commembro vendi debere; & ut res executioni citius mandaretur, unanimiter conclusum fuisse, desertas hæc loca sine superfluo apparatu sumptibus publicis readificari; & ex post factò uni contribuentium venditionis titulò in possessionem mittere; eò etiam rem redactam fuisse, ut excitatò jam jam ad propositum eorum sat commodò murò causa integra ampliùs locus non sit. Non quidem abs re esse, Suae Majestati Cæsarea tanquàm Regi & Hereditario Domino Regni Bohemiæ ad altissimum placitum simul cum omnibus & singulis Communitatis appertinentiis jure Regio disponendis plenissimum Jus competere: intereà tamen eandem*

in Suae Majestatis innatam Clementiam spem suam humillimè collocare, fore, ut altissimè memorata Sua Majestas eadem, sicut a Suis Antecessoribus Romanis Imperatoribus & Regibus Bohemiae Gloriosissimæ Memorix Benignissimè collata, confirmata, & Matri-
cula Regie inserta Privilegia Clementissimè consideratura, & apud
administrationem rerum communitalis vigore Privilegiorum sibi com-
petentium conservatura sit. Idcirco sæpè dictum Magistratum a
Locumtenentia Regia flagitasse, reflectere ut dignaretur, novam
hanc intentam fundationem potiori ex parte privatum Religionis com-
modum, & quidem in futurum maximum omnium Pragensium
incolarum in exequenda elemosyna præjudicium respicere. Ea pro-
pter suâ in hoc negotio referendâ sententiâ eò intendere, ut sæpè di-
cti Patres ab acquisitione possessionis loci supra memorati penitus ar-
ceantur, ii e contra in recensito, & pro meliore contribuentium
bono plenis votis conclusò proposito secundari, & in administratione
Bonorum Communitatis conservari queant.

CAPUT XI.

*Celsissimus Princeps Archi-Episcopus & Regia Lo-
cumtenentia Suis per viam mediam arbitriis
Ordini nostro patrocinator.*

I. **A**D Sanctius ergo Tribunal causa nostra est delata, ubi con-
sistere, vel cadere debebat. Stetit autem, vel potius
erecta fuit, aut certè in satis bono adhuc statu pependit, non
tam Celsissimi Principis Archi-Episcopi Auctoritate, quàm ejus-
dem præponderantibus rationibus, dum ille ad Regiam Locum-
tenentiam inter extrema, mediâ quasi viâ usus, mentem suam
ita aperuit:

Celsissimi
Principis Ar-
chi-Episcopi
arbitrium.

Excellentissimi, Illustrissimi, Perillustres, Generosi
Domini, Domini Honorandissimi.

Qualiter apud Suam Casaream, Regiamque Majestatem Nostram
Clementissimum Dominum Patres Trinitarii Redemptionis captivo-
rum propter Clementissimum Consensum humillimè supplicando se in-
sinuaverint, ut in regia urbe Neo-Pragensi Conventum in loco ad
Sacellum S. Lazari sito erigere ac fundare valeant, & qualiter
Sua Casarea Regiamque Majestas hanc memoratorum Patrum humil-
limam supplicationem, supra quam ut Nos, utpotè Loci Ordinarius,
Nostram mentem aperiremus, suis Excellentissimis communicaverit,
id Littera 9. Maji anni præsentis ad Nos ex Regia Cancellaria Pra-
gensis unâ cum allegatis missa patefecerunt Nobis integrè.

X x x x

Nos

1704.

Nos supra eandem Patrum Trinitariorum supplicationem humillimam adjuvante Consistorio Nostro, ac exigente Jure Canonico ante omnia in Pragensi Tri-Urbe monasteria fundata jam sat copiosa, an, & quid ea, maxime Ordines Mendicantium meditata introductioni Patrum Trinitariorum opponere haberent, ac possent, eorundem mentem perquisivimus, ac etiam percepimus: tum undecim monasteria Pragensia ob causas sequentes; quod nimirum in hac Tri-Urbe Ordines Mendicantes numerosi jam ante hoc, residui verò parcè fundati propter introductionem Patrum Trinitariorum deprecari intellexissemus.

Etsi omnibus constet abundè Regiam Tri-Urbem Pragensem Ordinibus Mendicantium multum angustari, sacræque eleemosynæ hisce modernis bellicosis, ac egestati maxime expositis temporibus non ita largè iis posse succurri, quæ post introductionem plurimum Mendicantium Ordinum in plures elargita omnibus & singulis non esset omnino sufficiens, attamen huic insufficientiæ modò simili optimè posset obviari: si nimirum Patres Trinitarii suis debitis Reversalibus coram Nobis ad id se obligaverint, quòd iidem non citius conventum formalem erigere velint, donec sufficienter fundati fuerint, quorum tamen aliqui tempore usque ad obtentam foundationem currente, qui hujatibus Mendicantibus tantoperè præjudiciosi non erunt, Neo-Pragæ in postulatam locum per modum Hospitii suscipi, & tam pro exigentia sua, quàm pro captivorum Christianorum Redemptione, secundum suum tam sanctum, quàm salutare ac perneccissarium miseris captivis Institutum eleemosynas colligere poterunt, quæ collectio, siue illi in hoc Inclyto Regno sua gaudeant stabilitate ac domiciliò, siue non gaudeant, tum intra, tum extra Tri-Urbem iisdem etiam faveri debet, cum pro eorum sustentatione assequenda id ipsum quoque militet, quòd iidem Patres Trinitarii præter titulum gratitudinis gerentes suòque Instituto pio integrè satisfaciunt illis ipsis captivis, in quorum patria fundati sunt potiùs, quàm alienigenis adjutrices manus suas porrigere, & uti optimè sperandum est, per illorum in hoc Inclytum Bohemiæ Regnum introductionem etiam ejusdem patriæ filii in dura Tartarorum Turcarumque captivitate detenti præ aliis hanc Trinitariorum misericordem manum experiri poterunt.

Quapropter Nos, ut iste Sacer Ordo modò ante memoratò introducatur, in contrarium ire nequimus, imò eosdem Patres Trinitarios in Nostrium paternum sinum lubenti animò suscipimus, scientes, ac sperantes, Divinam Bonitatem, dum suos famulos multiplicat, etiam

etiam eisdem annonam pro congrua illorum sustentatione suppeditaturam. Hæc Vestris Excellentissimis, Nostrisque Dominis Honorandissimis breviter volumus notificare, Quos Divina Protectioni semper commendare solemus, Manentes.

1704.

Vestrarum Excellentiarum, Nostrorumque
Honorandorum Dominorum

Joannes Josephus
Archi-Episcopus Pragensis.

Pragæ in Nostra Archi-Episcopali Residentia
die 29. Novembris 1704.

III. Hæc multò æquior Celsissimi Principis Archi-Episcopi de causa nostra sententia, cùm ad Regiam Locumtenentiam delata fuisset, magnum utrinque pondus habitura videbatur. Collatæ demum sunt sententiæ, libratæ opiniones, ac momenta omnia ultro citroque ad Pragmaticæ sanctionis Regulas discussa, & exenterata: formatum est indè Regiæ Locumtenentiæ tertium scrutinium unà cum cæteris ad Suam Sacram Cæsaream Regiamque Majestatem humillimè dirigendum; & recensitò tam Celsissimi Principis Archi-Episcopi, quàm Urbici Magistratûs arbitriò hæc tandem ex omnibus supra relatis Conclusio illata fuit:

Regiæ Locumtenentiæ arbitrium.

Quòd nimirum Pragenses incolæ præsentis temporis injuriâ mediis ità destituti sint, ut eorum plurimis se unà cum uxore ac liberis alendis, & præstandis, quæ præstare debent, vix media supersint; siquidem tres Regiæ civitates jamjam accumulatis Mendicantium Ordinibus haud congruam tantis Religiosis eleemosynam suppeditare valent, minùs autem suppeditare valebunt, casu quo introducto novo Ordine iste pietatis fons in plures rivulos deducendus foret. Ceterùm quod præfatum propè Sacellum Divi Lazari in nova civitate Pragensi situm, & a Patribus Trinitariis desideratum locum concernit, abundè ex relatione Magistratûs Neo-Pragensis supra allata constat, eundem nullatenus venditionem loci velle concedere.

Quamobrem rebus sic stantibus Regia Locumtenentia ad introductionem Patrum Trinitariorum consiliò concurrere meritò in suspensio est, ac suadere planè detrectat: Casu autem, quo sua Cæsarea Regiæ Majestas introductioni hujus Ordinis Clementissimè annuere velit, Regia Locumtenentia, salvò tamen altissimè memoratæ Suae Majestatis prudentissimò judicio, demississima opinionis est:

Primò. Sæpè dictis Patribus, antequàm introducerentur, sedulò injungere velit, ut fundationem sustentationis, & pro quot Religiosis sita sufficiat, uberius depromant.

1704.

Secundò. A Magistratu memorati loci propè S. Lazarum fundos municipales sub ordinaria licitatione coëmant, & tandem cum eodem super oneribus tam personalibus, quàm realibus de exhibitione æquivalentis alicujus transigant.

Supra relata
ex Germano
in Latinum
idioma trans-
lata sunt arbi-
traria.

IV. Hæc Acta idiomate Germanico prodire, quæ, ut natus illis succus constaret, & rei veritas clariùs illucesceret, posthabitis elegantioribus verbis simplici stylò in Latinam linguam transferenda putavi. Cætera verò, quæ ex jussu Clementissimi Imperatoris Nostri LEOPOLDI I. consecuta sunt, cum hòc annò non emanaverint, in sequentem tanquàm proprium eorum locum differimus.

C A P U T XII.

Prævia dispositio ad nostram Foundationem Comaromiensem in Hungaria obtinendam.

Gratia gratiam parit.

I. **S**UPERUM beneficiò ità comparatum esse videmus, ut virtus nunquam sola & sinè comitatu ingrediatur mundi theatrum; relictà enim procul invidià, aut propè contemptà, Gratiarum contuberniò gaudet. Non rarò beneficium unum alterius majoris est causa beneficii, pietas pietatem nutrit, & ut apud Græcos est in parœmiis: Gratia Gratiam parit.

Comaromiensis Cœnobii Fundator, Episcopus Nitriensis,

II. Splendidissimæ illi Festivitati, Viennæ hòc annò ob institutam nostram Confraternitatem celebratæ, cujus superius mentionem fecimus, præter alios Excellentissimus & Reverendissimus Dominus Ladislaus Mattyasovski Episcopus Nitriensis & inclyti Regni Hungariæ Cancellarius interfuerat. Is Ordini nostro pridem addictus, nunc verò recentì pietatis Spectaculò inflammatus, & Instituti nostri præstantià illectus arctiore nos benevolentia complexus est. Neque tamen otiosus fuit amor ejus sed activus, cum non ignoraret dilectionis probationem exhibitionem esse operis: distulit tamen, ut cumulatiùs & majori fœnore tarditatem suæ beneficentiæ compensaret, præsertim cum eo tempore nihil in Hungaria stabiliri posse crederetur, quò irrequieto armorum tumultu omnia personabant, & haud obscuris indiciis ad proximam ruinam tendebant. Verùm ut fluxæ sunt res humanæ atque cogitationes de futuris sæpè inutiles, incertæque providentiæ, disposuit DEUS, ut cujusdam pro Ordine nostro cœnobii foundationem, non quidem ejus voluntati, sed facultatibus duntaxat commensam, in animo delinearet, pro qua plenam in cœlis mercedem reciperet; gratum enim Superis est quodcunque donum de bono corde profectum.

Aegrotans de rebus suis dis-
ponit.

III. Hòc autem modò bonum ejus propositum in effectum prodixit: post aliquot menses a Festo Sanctissimæ TRINITATIS hòc annò elapsos ægriùs habere cœpit Præsul, & fatiscente corpore jam senili graviolem morbum incurrit, in cujus molestiis cum

cùm adhibita medicorum opera nihil proficeret, animadvertit Vir Summus sanitatem suam ex ancipiti loco pendere. Optimum itaque factum putavit, ut cum anima sua rationem iniret, DEUM bonis operibus placaret, vasa colligeret, & Divinæ Voluntati in omnibus se resignaret. Nostri porrò intellecta ejus ægritudine illum officii causâ crebrius adibant, ut languentem inviserent, & spiritualibus alloquiis consolarentur. Neque ille se difficilem exhibuit in iis admittendis, expositurus aliquando consilii sui rationem, quam hucusque silentiò prefferat. Sæpenu-merò ipse movebat sermonem, quærebátque, ut Patres moderno belli tempore se haberent in Hungaria? Quid de redimendis captivis nunc agerent transitum impediens bellò civilì, & intestinis motibus? aliâque plura de sacerrimo Redemptionis Instituto nostro (quod magnoperè semper commendabat) per otium sciscitabatur. Respondebant Patres, quod res erat, addebántque, Librum recenter typis prodivisse de captivorum Redemptione tractantem, quem etiam, cùm ejus lectionem Sua Excellentia sibi gratam fore significasset, proxima occasione eidem attulerunt, tanta Eiscopi voluptate, ut inter acutos morbi dolores codicem a capite usque ad calcem pervolverit, & hóc condimentò ægritudinis suæ molestias edulcaverit.

IV. Cùm sæpiùs ad Indulgentissimum Præsulem officii memores redirent nostri, & ipse secreti sui consilii non immemor, quod nemini ante tempus volebat cognitum, de nova quadam Ordinis nostri fundatione cogitaret, tandem exeunte mense Septembris post domesticas rationes probè jam subductas tempus esse rebatur supremam voluntatem suam exequendi. Mittit igitur epheborum suorum de numero quendam, qui nunciaret P. Martino Commissario Generali, se habere, quod cum eodem conferret: veniret itaque, quamprimùm id fieri posset. Venit Pater, rerum inscius, solùm tanto Præsuli obsequendi studiò ductus. Post datam officiosa verborum civilitate mutuam salutem Præsul in hunc modum fari exorsus est: *Erúntne Patres contenti cum viginti florenorum Rbenensium millibus pro fundatione unius monasterii Vestri Ordinis in Hungaria?* Hac insperata quæstione P. Commissarius majorem in modum exhilaratus incunctanter reposuit: *Excellentissime Domine Præsul non solum erimus contenti, verùm & contentissimi.* Mox intulit Præsul (juvat propria ejus verba referre, quæ etiam suis litteris per modum cessionis in vivis, die decima septima Octobris ad nos exaratis, ipse postea inseruit) *Jam pridem banc piam intentionem erga Ordinem Sanctissimæ TRINITATIS in corde meo foveram, & quidem in eam fundationem quadraginta florenorum millia constitueram: sed novit Paternitas vestra in his seditiosis motibus Regni nostri statum, ubi ego universa bona mea, & Episcopalia & patrimonialia & allodialia ob illibatè conservatam fidelitatem erga Augustissimam Domum Austriacam prorsus amiseram, & ex parata pecunia, quam piis fundationibus destinaveram, me cum familia mea a sedecim jam mensibus sustentare debui, ne proinde & residuam totaliter consumam, & conceptæ piæ fundationes in fumum abeant;*

1704.

Visitat a
nostris fre-
quenter.

Liber de Re-
demptione
captivorum
tractans ei da-
tur.

Mentem suam
exponit.

Ejus intentio
hòc scriptò
explicatus.

1704.

abeant; *judicavi expediens fore, si residuum adhuc in paratis pecuniam alicui certo religioso loco elocem & concedam, qui vita mea comite consueto sex pro centum censu meis necessitatibus quotidianis subveniat. Et quia inter reliqua loca sacra occurrit mihi Ordo Sanctissimæ TRINITATIS de Redemptione captivorum, & signanter Domus Viennensis, ob id eidem Sacro Ordini viginti mille florenos Rhenenses effectivè assignavi bis sub annexis conditionibus. Primò, ut eandem summam ad securum locum elocet, ex quo censum consuetum bis quotannis mihi subministret, habiturus pro fatigio condignam discretionem. Secundò, si me in hac vita, vel maxime longissima mea in indispositione satis cedere contigerit, ea Summa ipsò factò cedat eidem Sacro Ordini, ea tamen sub expressa conditione, ut Budæ, vel alio in loco Hungariæ Cœnobium erigat pro suis Religiosis, & pro peccatrice anima mea Sacra celebrent, & orationes ad DEUM fundant. Hactenus Præsul Pientissimus, fermè locutus, mentem suam explicuit, & eadem prorsus verba scripto schediasmati inseruit, quod Patri Commissario Generali ad manus tradidit custodiendum.*

Gratias aguntur, & voluntati ejus satisfi.

Tradit pecuniam Fundationis.

Quod plus inventum restituitur.

Fundatio inferitur testamenti tabulis.

V. Illis auditis P. Commissarius Generalis Excellentissimo Episcopo debitas gratias persolvit, & suas suorumque preces ac sacrificia pro ejusdem incolumitate obtulit. Neque diu cunctatus Pater, locum protinus circumspicere cœpit, in quo dicta pecunia ad censum securè deponi posset. Cùm apud diversos id tentasset nullo successu, tandem Viennæ apud Status Provinciæ inferioris Austriæ commodissimum, atque tutissimum locum invenit, ubi pecunia recepta, & accurata solutio ad singulos sex menses promissa fuit. Continuò Pater Præsulem Fundatorem de hac occasione reperta edocuit, qui eandem majorem in modum laudavit, & approbavit. Trigesima itaque die mensis Septembris iterum accersito Patri Commissario Generali arcam cum clavi tradidit, in qua viginti florenorum millia asservabantur; monito tamen prius eodem Patre, ut pecuniam sollicitè numeraret, & si quid fortassis deesset, id sibi adtutùm renunciaret, pollicitus, ab se confestim defectum redintegratum iri. Numeratâ pecuniâ ducenti viginti tres floreni constitutam summam superâsse reperti sunt, quos Pater absque mora Excellentissimo Præsuli restituit, hoc factum impensè admiranti, & incorruptam religiosi viri integritatem grandibûs encomiis extollenti.

VI. His aliisque ritè confectis Excellentissimus Præsul cum inevitabilis necessitatis horam maturè antevertere cogitaret, quatenus tantò majus deinceps otium nancisceretur, quo a terrenis curis expeditus piis meditationibûs se ad instantem transitum præparare posset, Testamenti, seu ultimæ voluntatis tabulas ex indulto Apostolico legitimè condidit, ubi numerò XII. priorem dispositionem suam sequentibûs verbis confirmavit: *In eundem similiter finem alios viginti mille florenos assignavi Reverendis Patribus Trinitariis Viennensibus (ut patet ex eorum litteris recognitionalibus) quatenus & ipsi mihi solitum censum sex per centum vita mea durante administrent, post mortem verò meam dicta summa iisdem pro erigendo certo conventu Budæ, vel alio in loco in Hungaria cederet. Ut proinde hæc quæque dispositio mea locum habeat, onero conscientias dictorum Patrum Trinitariorum, si dispositioni huic meæ satisfactum non fuerit, ac pro peccatrice anima mea DEUM non oraverint.*

CA.

C A P U T XIII.

Imago Beatissimæ Virginis MARIÆ, de Behtlehem dicta, aliquamdiu absens in nostram Ecclesiam Viennensem reponitur, & impetratum simul sanitatis beneficium recensetur. 1705.

I. **A**Nnò Christianæ Salutis millesimò septingentesimò quintò Cæsareis Aquilis omnem ferè Europam victrici cursu pervagantibus licuit tandem Viennensibus a concepto pavore respirare & securius degere. Hac de causa domus nostræ suppellectilia, quæ ad urbem misimus, sub hujus anni principio in cœnobium revocata suis locis reddidimus. Hæc inter centebatur Devotissima Virginis **DEIPARÆ** Imago cognomentò de *Betlehem*, ante decennium ferè in nostro Templo fidelium devotione culta, atque ob impetratam a morbis sanitatem in paucis nota, ut picta aliquot anathemata, & alia argentea dona, ejus tholis appensa, testantur. Hanc autem sacram imaginem ex suprema voluntate adscripsit Ecclesiæ nostræ Domina Theresia Sanchez morum Institutrix Filiarum Principis Fundorum & Mansfeldæ. Obiit illa die vigesima Novembris superioris sæculi annò nonagesimò quintò, & in nostra Ecclesia sepulta eandem sacram imaginem cum aliqua dote secum deferri jussit, atque publicæ fidelium venerationi ibidem exponi desideravit.

Mitiora redeunt tempora.

Domum re-ducuntur, quæ in urbe cultodiebantur.
Cum B. V. MARIÆ imagine.

Donatrix ejus

II. Sed cum hæc sacra imago decem ferè mensibus ob circumvolitantium & in urbis vicinia grassantium hostium timorem a sua sede abfuisset; demum quartà Januarii, quæ hòc annò in diem Dominicam inciderat, suo altari ante sacrum, inter muscos concentus solemniter decantatum, magna confluentis populi approbatione ac voluptate restituta fuit. Hòc signò sublevatò pollicebantur sibi plerique pacatiora tempora, dum *Stella maris* gratiarum fulgores cœpit exerere, quos licèt singillatim recensere minimè constituerim, ut tamen ingratae mentis notam effugiam, impetrare a me non possum, quin saltèm illud beneficium impræsentiarum recenseam, quod, ut omnes tunc Religiosi nostri viderunt, & noverunt, mihi quantumvis indigno & immerito collatum fuit. Referam itaque ad Divæ Virginis honorem, quod taceri sinè piaculo nequit: Eadem die quarta Januarii post meridiem ante horam primam, Ecclesiæ foribus jam obseratis, cum nemo exterorum adesset, aliquot nostrum accesseramus ad ejusdem **DEIPARÆ** Virginis aram, ibidémque in genua provoluti affectu filiali salutavimus Gratiosissimam Hospitem, Matrem & Patronam nostram, post longa desideria ad sedem suam reversam. Ceteros inter & ego quoque, qui hæc scribo, me reliquis comitem adjunxi, & licèt diuturna quartanæ febris sævitie afflictus fuisset, cum aliis tamen ante thronum cœlestis Reginae procubui, & Clementissimam DEI Matrem supplici prece rogavi, ut me a morbo, medicorum artem tam diu eludente, liberare dignaretur. Persolutis sincero corde precibus spe firma & interiore solatio delibutus ab

Solemnè sacro colitur.

Autòr a febrì quartana liberatur.

1705.

Solemnis Sa-
crum quoran-
tis.

ejus ara recessi : erat autem dies illa mihi , ut vocant , critica ob febrim post tres horas ab oratione facta redituram ; sed neque die illa , neque sequentibus me paroxysmus ullus tentaverat ; unde perspicue notavi , me luculentâ gratiâ a morbo liberatum fuisse , & præpotente DEIPARÆ Virginis patrociniô sanitatem recuperâsse , cui eam unice in acceptis retuli , firmissimè persuasus , hoc beneficium mihi nonnisi peculiari prodigiô obtigisse. Divæ igitur Sospitatrici meæ , ut quoquô modô gratum me exhiberem , in Ejus laudem paucos depanxi versiculos , & secundum aram appendi , qui postmodum typis etiam prodire , atque in plurium venerunt oculos , gratiæ illius testes. Reductionis autem hoc festum quotannis Dominicâ primâ Januarii solemni sacrô inter musicos concentus hucusque celebratur.

C A P U T XIV.

*In Viennensi Cœnobio nostro Bibliotheca instituitur.*Bibliothecæ
vetus mona-
stiorum in-
stitutum.Bibliotheca-
suis eligitur.P. Martini
adjumenta.Libri bonitate
præstant non
multitudine.Librorum
numerus.

I. Eôdem aîno ad studentium utilitatem pulcherrimum Majoribus nostris in mentem venit consilium , vel potius desiderium , videlicet , in nostro Cœnobio Viennensi pro veteri omnium fere monasteriorum instituto Bibliothecam aliquam , sive librariam suppellectilem comparandi ; pauculi siquidem hucusque nobiscum habitaverant codices , atque adeo sæpius necesse fuit volumina non sine gravi temporis dispendio & claustralis solitudinis violatione conquirere , aut mutuare , quamvis non semel ludificata spe nostra hunc laborem frustra subiêrimus. Quamobrè ut hujusmodi incommoda stirpitus imposterum tollerentur , necessarium duximus aliquid moliri , quô perniciosæ huic inopiæ occurreremus. Die itaque vigesima tertia Martii in communi regularis disciplinæ lustratione uni nostrum Bibliophilo hæc operosa provincia demandata fuit , qui paucos illos tunc in cœnobio repertos libros separato in loco sub clavi custodiret , & Bibliothecæ augmento imposterum pro viribus studeret. Id ipsum alii privati industriis conati sunt , & ut de cæteris taceam , laudanda fuit hic imprimis sollicitudo P. Martini ab Ascensione , tunc temporis Commissarii Generalis , viri in bonis litteris toto vitæ tempore enutriti , qui præstantiorum Theologorum sibi pridem notitiam paraverat , & sumptus non modicos ad hunc finem destinaverat , ut boni , & religiosorum studiis necessarii compararentur Auctores ; in quibus tamen nolebat spectari multitudinem , sed præstantiam & bonitatem librorum , satis nimirum gnarus , in his solis Bibliothecæ perfectionem consistere.

II. Crevit sensim inter triginta & aliquot annos hæc nostra Bibliotheca , ut numerô librorum septem millia facile exuperet , & quotidianis etiamnum incrementis accrescat. Nihil hic desideratur , quidquid ad quamcunque facultatem vel scientiam expeti valet ; nam præter multiplices rarosque diversorum Librorum codices tenet omnes Sanctos Patres , veteres atque recentiores Theo-

Theologos, sacrarumque Litterarum Interpretes, Juris utriusque Commentatores, item Philosophos, & quidquid ad Asceticam, vel Ecclesiasticam Historiam pertinet: nec defunt politioris litteraturæ cum notis variorum Scriptores; ut ileam bonæ notæ Manuscripta, atque alia tum antiquitate, tum raritate ex eruditorum judicio prorsus singularia volumina; in quibus nunc consilii pretiosior nostri Cœnobii supellex multo labore ac sumptu, nec minore felicitate collecta.

III. Hanc unicè suspicimus tanquam nostræ militiæ armamentarium, veritatis promptuarium, solitudinis solatium, pietatis fomentum, otii negotium, & medicam animorum officinam. Libet hîc ad Bibliophilorum solatium & simul incitamentum Bessarionis Cardinalis Tusculani de suis libris adscribere sententiam, qui in epistola Viterbii annô 1469. IV. nonas Maji ad Senatum Venetum data, quâ Basilicam S. Marci suæ Bibliothecæ hæredem instituit, ita locutus est: *Nullam magis dignam atque præclaram supellectilem, nullum meliorem præstantiorémque thesaurum mihi posse parare existimabam. Vocibus pleni, pleni antiquitatis exemplis, pleni moribus, pleni legibus, pleni religione vivunt, conversantur, loquunturque nobiscum. Docent nos, instituunt, consolantur, resque a memoria nostra remotissimas, quasi præsentis nobis exhibent, & ante oculos ponunt. Tanta est eorum potestas, tanta dignitas, tanta Majestas, tantum denique Numen, ut nisi libri forent, rudes omnes essemus, atque indocti: nullum ferè præteritarum rerum memoriam, nullum exemplum, nullam denique nec humanarum, nec divinarum rerum cognitionem haberemus.* Hæc Bessarion Cardinalis.

Eorundem
Cohendatio
ex Bessarionis
Cardinalis
sententia.

C A P U T XV.

*Pragensis Cœnobii urgetur Fundatio: impetratur
ibidem pro tempore Hospitium, & proximè futura
Redemptio ad impetranda subsidia per Bohemiam Metropoli-
tana Auctoritate promulgatur.*

I. **M**editata Cœnobii Pragensis Fundatio, negotium profectò non parvi moliminis, cui feliciter consumando sicut totis nunc viribus incubuimus, ita invincibiles propè difficultates superare debuimus. Sed quidquid egissemus, ad extremum tamen naufraga spes nostra in syrtes imegisset, nisi lapiantem causam nostram LEOPOLDUS Imperator Augusta sua potestate sustentasset, ac justissimò suò imperiò nobis asseruisset, quod nullis precibus impetrare potuimus, adversantibus jam indies pluribus & inutilem conatum nostrum tacitè non solum, sed & in conventiculis irridentibus. Prævaluere tamen rationes a Celsissimo Principe Archi-Episcopo in nostrum favorem allegata, quibus Regiæ Locumtenentiæ Rescriptum ex parte suffragari videbatur. Cætera porro argumenta quæ majore ex parte in perpetuis quiritationibus consistebant, debiliora esse censebat cum sapientiore Nobilitate Sapientissimus Imperator, quam ut propter talia non

Archi-Episco-
pi & Locum-
tenentiæ arbi-
trium sequitur
Imperator.

Zzzz

admo-

1705. admodum urgentia momenta nobis stabile domicilium Pragæ negaretur. Itum est igitur in sanctiorem sententiam sequenti Decretò ad Regiam Locumtenentiam expeditò,

LEOPOLDUS.

Decretum
Imperatoris.

Dilecti Fideles : Postquam a vobis humillimè presentatum fuit, quòd super Patrum Trinitariorum Redemptionis captivorum pro Fundatione exorata cessione deserti loci illius, propè Sacellum Divi Lazari in Civitate nova Pragensi siti, requisitò a vobis desuper tam Ordinario Loci, quàm Magistratu civico sub 10. Decembris anni proximè elapsi demissè perscriptis, Clementissimè resolvimus, & statuimus, ut memorati Patres Trinitarii in dicta nova civitate Pragensi in præfatum desertum locum ad Sacellum Divi Lazari assumantur, & ab initio ibidem per modum Hospitii, usque dum formalem conventum fundare possint, commorari, & secundùm Sanctum ipsorum Institutum vivere, dein verò prævia debita litatione cum Magistratu & Communitate super hoc deserto fundo tam quòd ad onera personalia, quàm realia cum exhibitione æquivalentis pacisci posse eisdem concedatur; quamobrem Clementissimam Nostram Resolutionem non solum vobis, sed etiam omnibus illis, quorum hoc scire interest, pro notitia Benignissimè significare volumus
Viennæ 2. Maji 1705.

Ad alium locum nos convenimus propter oppositiones.

Matris Dolorosæ Sacellum cum habitationis domo.

II. Clementissimò hòc Cæsaris Decretò planè confectum esse negotium arbitrabamur, verùm id spe meliore, quàm successu; nam circa sacellum S. Lazari continuo aliæ atque aliæ velut ex e quo Trojano subnatæ sunt difficultates nonnisi ingenti sumptu & longissimi temporis jacturâ evincendæ. Hæc oppositio necessitatem nobis peperit non admodum ambiendi locum illum, tot difficultatum involucris intricatum, sed oculos ad alium convertendi, in quo tantisper pedem figeremus, donec fortuna magis propitia nobis aspiraret. Erat Neo-Pragæ in remotiore urbis loco ad rivulum *Botitz* (cujus omnis utrinque ora veteri Bohemæ lingua in *Slup* sive, ut Latine id proferam, ad *Columnas* nominatur) Sacra quædam ædícula in honorem *Matris Dolorosæ* cum modica habitatione constructa, quam olim emeriti & senio gravati Presbyteri incoluerant, sed eandem ob tædiosam loci solitudinem rursus deseruerant, domiciliò cum foundationis censu ad magnum Archi-Episcopale Collegium, quod Aula Regia nuncupatur, translatò, ut ibidem morum gravitate, & virtutum splendore, longique temporis experientiâ junioribus alumni præluerent, a quo tempore locus ille usque ad nostrum adventum desertus remansit. Nunc eum post nos obtinent sorores S. Elisabethæ, infirmis mulieribus ministrantes. Hanc itaque stationem P. Joannes sibi suisque precariò incolendam a Celsissimo Principe poposcit; qui ut nobis medullitùs favebat, propensissimè annuit,

annuit, eandemque possessionem, si nostris desideriis arrideret, se nobis in proprietatem collaturum promisit. Cum verò Pater id minimè intenderet spe meliorem locum cum tempore impetrandi, iussit tamen locum interim nobis tradi pro libero atque gratuito incolatu, & Reverendissimo ac illustrissimo Domino Danieli Mair Episcopo Tyberiadis, suo in spiritualibus Vicario Generali & Officiali, postea quoque ob insignia merita ad Archi-Episcopatum Pragensem evecto, in mandatis dedit, ut nos eò solemniter introduceret.

III. Quarto igitur, & vigesimo die Sextilis, in festo nimirum S. Bartholomæi Apostoli, P. Joannes Reverendissimo & illustrissimo Domino Generali Magistro Sacri & Militaris Ordinis Crucigerorum cum rubea Stella pro liberali ad pedem Pontis hospitio, hætenus concessio, gratias quàm officiosissimè persolvit: Ille verò gratum hospitem reciprocè constanti prosecutus affectu suam eidem ulterius obtulit operam, & ut vetera novis cumulare beneficium, simulque amorem, quo ordinem nostrum complectebatur, testatum faceret, novum illud domicilium, quod ex Archi-Episcopi permisso incolendum suscepimus, copiosâ in multos dies annonâ liberaliter instruxit. His ita transactis publica introductio ad dictum Sacellum & domum inter consuetas cæremonias illico successit, absque ulla quidem majoris ostentationis pompa, non tamen absque honorifico exterorum concursu, qui hunc actum suâ præsentia decorarunt, e quorum etiam numero fuit Reverendissimus Abbas Emautinus Antonius Ordinis S. Benedicti, qui de novis vicinis sibi gratulatus primum Missæ Sacrificium ibidem celebravit. Comparuerunt quoque Neo-Pragensis Urbis Consul & aliquot ex Senatoribus pium in nos affectum testantes.

IV. Precariò interim Domiciliò obtentò Celsissimus Princeps Archi-Episcopus in menses singulos de suis bonis certam nobis constituit eleemosynam, insuper & Redemptioni captivorum utiliter providere studuit. Innotuerat ei P. Josephum a sanctissimo Sacramento Redemptorem novam moliri Redemptionem juxta solemne Ordinis nostri Institutum, quod ille tam pium propositum, ut suâ quoque industriâ secundaret, precibus ejusdem P. Joannis exoratus ad singulos Archi-Diœcesis Vicarios rurales & Parochos per Reverendissimum Consistorium suum Litteras iussit exarari tenoris sequentis:

Venerabilis ac Eximie, Nobis Dilecte.

*Notum sit vobis, quòd Reverendus & Religiosus P. Joannes a Cruce Ordinis Sanctissimæ TRINITATIS Redemptionis captivorum Procurator Generalis hic Neo-Pragæ propè rivulum Botitz, vulgò in Slup ad Matrem Dolorosam pro interim degens Nobis reverenter exposuerit, qualiter Religiosus P. Josephus a Sanctissimo Sacramento ejusdem Sacri Ordinis Sacerdos ac Captivorum Redemptor vice jam * tertia ad Gentes paganorum pro captivis ex tyrannica*

Z z z z 2

servi-

1709.

Illud nobis promissum.

Reverendiss. Generali Magistro Crucigerorum gratias persolvuntur pro Hospitio & beneficiis.

Annonam nobis provident.

Introductio ad novum hospitium.

Primum Sacrum.

Redemptionis captivorum ab Archi-Episcopo providetur.

* Secunda.

1705. *servitute liberandis Christicolis intra breve tempus, & quidem post aliquot septimanas sit profecturus, Nobis tam suo, quàm totius Sacri Ordinis nomine humiliter supplicando, ut quandoquidem pro ejusmodi liberatione magna media pecuniaria requirantur, per hanc Archi-Diocesim Pragensem ubique locorum certior fiat promulgatio, quatenus piis eleemosynis ex amore proximi, & ex Christiana compassione praecepsitis captivis pro cujusvis facultate & libitu charitativò aliquò subsidio subveniatur, Nos zelò miserabilium ejusmodi captivorum commoti harum serie, idque de praescitu & gratiosissima voluntate Suae Reverendissimae Celsitudinis Domini D. Archi-Episcopi (titulus) vobis mandamus, ut quamprimum presentes Nostrae ad manus vestras pervenerint, adjuncta iis exemplaria impressa, non tantum per Parochias, sed etiam monasteria tractus vestri quantocius distribuatis, & tam vos, quàm subordinati vobis Curati miserabilem statum sub jugo tyrannico degentium captivorum iteratis vicibus Auditoribus efficaciter & nervosè exponatis, eosdemque ad largam eleemosynam pro pio hocce opere, & inestimabili charitate applicandam adhortemini. Collectam autem hujusmodi eleemosynam quilibet Curatorum, adjecta etiam suà in Vicariatus officio deponet. Vos verò eandem huc Pragam ad Cancellariam Archi-Episcopalem Jacobo Josepho Javoriczki Dacii Salis Ecclesiastici jurato Cassario contra opportunam quietantiam, soluta prius exinde Tabulario mercede, unà cum nominibus illorum, si quos Regni hujus incole consanguineos, cognatos aut patriotas sub jugo gentis barbarae etiam nunc gementes habent, deponi facietis; facturi in hoc opus Christianae Charitatis plenum, & Nostrae voluntati satis. Praga in Cancellaria Archi-Episcopali die 10. Decembris Anno 1705.*

Modus mittendi collectas.

Reverendissimi ac Celsissimi S. R. Imp. Principis Domini D. Joannis Josephi Archi-Episcopi Pragensis (titulus) Vicarius in Spiritualibus Generalis, & Officialis, totumque Archi-Episcopale Consistorium Pragensè

*D. J. Majer
V. G. & Officialis.*

Redemptio promulgatione Ordo magis innotescit.

V. His Litteris adjectum fuit impressum folium in omnibus Ecclesiarum valvis pro cunctorum notitia affigendum, quod eandem promulgationem triplici ejus Regni lingua Latinâ nimirum, Germanica & Bohemica expressam continebat. Nec mora! celesiter per universam Archi-Diocesim mandata deferuntur, & publicantur; quâ diligentia factum fuit, ut Ordinis nomen & Institutum, haecenus parum cognitum, velut luce meridiana illustra-

illustratum singulis, etiam rudibus, innotesceret, ipsaque rei novitas atque necessitas per omnia pulpita & fora celebrata animos opulentiorum ad conferenda subsidia alliceret, qui ad opus DEO gratum & hominibus adeò salutare largam stipem contulerunt, ut tantò plures patriæ municipes e Turcarum servitute eximerentur.

1705.

CAPUT XVI.

*Legendus LEOPOLDI MAGNI Romanorum
Imperatoris obitus; & ejus in Ordinem nostrum
collata beneficia commemorantur.*

I. **I**N communi bonorum omnium luctu, quem hòc annò Augustissimi LEOPOLDI, hujus nominis PRIMI, Imperatoris obitus toti Germaniæ induxit, gratitudinis officium nos commonefacit gloriosos ejus venerari cineres, & obtusò etiam tenuisque nostrò calamò parentare tanto Monarchæ, qui ob rerum gestarum magnitudinem & multitudinem agnomentum MAGNI, & ob inculpatam vitæ integritatem, virtutesque Christiano Principe dignas a plerisque etiam titulum SANCTI obtinuit. Debetur sanè honos iste Munificentissimo plantationis nostræ Creatori, Proto-Parenti & Fundatori.

Luctus in obitu Cæsaris.

*Nec mihi si centum DEUS ora sonantia linguis,
Ingeniumque capax, totumque Helicon dedisset,*

Id pro dignitate, pro munere ac merito exequi valerem; excedunt siquidem tot pulcherrima beneficia Tullianam facundiam, & omnem dicendi facultatem exsuperant tanta nomina meritorum.

II. Tam Sacri Capitis in urnam funebrem, eheu! depositio devinctos profectò nos, si unquam aliàs, maximè prostravit, afflixitque cordis mœrore acerbissimo. Terruit primùm, velut ante fulmen fulguris coruscatio, pias mentes, cùm vigesima sexta die mensis Aprilis Cæsaris labascens valetudo Medicorum acueret sollicitudinem; vix namque tristis hujus nuncii fama percrebuit, dum quasi in discrimine communis Parentis adtutum omnia de cœlo terræque advocata sunt sive remedia, sive suffragia. Indictis ad præcipuam S. Stephani Proto-Martyris Urbis Basilicam quadraginta horarum precibus prorogandæ vitæ, atque recuperandæ sanitatis gratia Clerus & populus, Magistratus omnes, & Ordines in vota sua cœlum fatigavère. Spem inter & metum omnes universim anxios tenebat Chari Principis desiderium, necessitasque, ideòque ad omnes aras supplicatum fuit quàm ardentissimè. Postremò ingravescente periculo Cæsaris cubili sunt illata Sacratiora quæque cimelia: CHRISTI nimirum passus sanguis, Spina de vulnifica Sacri Capitis Corona, & Clavus, quò Cruci suffixus fuerat mundi Salvator, aliæque Sanctorum Lipsiana, aurò gemisque pretiosa, in Cæsarium Hierophilacio reverenter asservari solita. Insuper, & Reliquiæ Venerabilis N. P. Thomæ a Virgine, quarum efficaciam in levandis somni difficultatibus

Ejus agnitus.

Preces pro Cæsaris salute.

Sacra Lipsiana afferuntur.

A a a a

effectus

1705. effectus non semel probaverat, pariter mutuò acceptæ, & imperiali Conclavi illatæ fuerunt.

Cæsar obiit.

Vitæ ejus.

Regimen.

III. Verùm terrâ, cœlôque pro tanti Principis anima certantibûs de quinta Maji victoriâ tandem cœlo cessit, qua die tertio quadrante ante horam quartam a meridie omnibûs Christiano more receptis Ecclesiæ Sacramentis, & ritè dispositis universis **MAGNUS LEOPOLDUS** velût Sol, in ipso occasu major, interpias complorantis Augustissimæ Familiæ lacrymas placidissimè ad beatæ vitæ immortalitatem transivit, aquâ circa pectus intercute extinctus, meliore ejus parte, animâ, supernis (ut piè credimus) illatâ sedibus, & inenarrabili sui in terris relictò desiderio. Vixit cum nunquam intermoritura gloria annos sexaginta quatuor, menses decem, dies sex & viginti: Romanum Imperium Clementissimè moderatus per annos septem & quadraginta; duobus solum Imperatoribus Antecessoribus rarò exemplò suppar, Augusto nimirum Primo Cæsari, Romani Imperii Conditori, qui imperaverat annis quinquaginta sex, licèt, si a pugna Actiaca ætas ejus, ut a multis fieri solet, computetur, solummodò anni quadraginta tres prodeant; & **Friderico III.** ex eadem Austriaca Domino Imperatori, qui annis quinquaginta tribus ad clavum sedis Romanæ Reipublicæ. Sacram verò Regni Hungariæ Coronam Noster **LEOPOLDUS** inter multas & varias vicissitudines tenuit annis quinquaginta, & Bohemiæ ferè totidem, unò videlicet minus annò.

Varia omina mortem ejus præcedunt, & sequuntur.

IV. Mortem adeò sensibilem varia præcessere & subsequuta sunt gravis mœroris omina, passim ubique jam nota & divulgata; nam Aquila Belfontana, Serenissimi Filii Regis **JOSEPHI**, diebus præcedaneis ovum pepererat, a vetusta experientia & antiqua observatione nunquam non ominosum, quod & idem nunc sinistri aliquid portendere videbatur. Illud autem in irrationalibus animalibus multò mirabilius fuit, quòd natu major Aquila, ex iis, quæ in palatio tanquàm viva Romani Imperii insignia & symbola aluntur, post meridiem ab hora tertia usque ad quartam toto tempore, quo Cæsar in agone cum morte luctatus est, in area expansis alis humi procubuerit, altera verò ab aula morientis Cæsaris ad palatium Serenissimi **JOSEPHI** Filii Regis super mœnia transvolaverit, quin ullo conatu ad suam priorem stationem repelli potuisset. Sol præterea, qui eadem die per intervalla in nostro horizonte subobscuriusculus meare notabatur, Orbi Christiano imminentem luctum prognosticabat. Huc etiam referunt quidam terræ motum, aut potius tremorem, quò Neapolis Austriæ concussa fuit. Sequens tamen eventus Cæsaris Funus certius propiusque præsagire putabatur: in interiore nempe Imperatoris conclavi Eberstorffianæ arcis, pridem ob circumcurfantium hostium motus non recluso, ignotæ manûs characteres parieti legebatur inscriptum: 1705. *Amen.* Porro Viennæ omnes Cæsareorum horologiorum rotæ gravioris infirmitatis tempore, ne suo pulsu lauguentis Principis quietem turbarent, per aliquot dies suffaminatæ, in morientis Cæsaris cubili post tertiam horam

horam tertium quadrantem non sine admiratione suo sonitu expresserunt, in quem temporis articulum inciderat obitus Augusti, ut præter alios plurimos Princeps Mansfeldius notavit, qui sub idem tempus aderat testis oculatus. Neque minus observatidignum est in Cæsaris morte, quod numerus V.^m toties conveniret; decessit namque annò hujus sæculi V.^{to} Mense hujus anni V.^{to}, die mensis V.^{to}, atque ætatis suæ annò LXV.^{to}.

V. Magna hæc fuerunt in excessu tanti Principis ostenta, qui per omnem vitam suam & nomine & factis MAGNUS erat. Merito quidem LEOPOLDUS MAGNI cognomentum ab INNOCENTII XI. Summi Pontificis oraculo jam pridem indeptus consensu omnium populorum sibi proprium asseruit, qui gestorum præstantiâ & virtutum magnitudine maxima quævis nomina aut æquabat, aut superabat. Erat enim verò Magnus Consiliò, Magnus Industriâ, Magnus ingeniò, Magnus pietate, Magnus prudentiâ, Magnus justitiâ, Magnus vitæ Sanctimoniâ, Magnus in propaganda gloria DEI, Magnus in stabilienda Religione Catholica, Magnus in Superùm cultu, Magnus in oppressorum defensione, Magnus in morum integritate, Magnus in litterarum eruditione, Magnus in conciliandis fœderibus, Magnus in debellandis hostibus, Magnus in victoriis, Magnus in bello, Magnus in pace, Magnus in structura publicorum ædificiorum, Magnus in quibuscunque operibus suis. Omnia, quæ dixit, scripsit, fecit & cogitavit, non fuere nisi Magna; quod nec ipsi etiam hostes ejus, tanta namque est vis veritatis, unquam diffiteri sunt ausi.

Omnia Magna
in Cæsare.

VI. Quot tituli, tot magna volumina implenda forent, si quis pro dignitate ea litteris exequi vellet, quæ promeritus est LEOPOLDUS MAGNUS: id equidem multi prægrandibûs libris præstiterunt, qui tanti Principis res gestas cultò satis & elimatò stylò ad posteritatem transmiserunt, quamvis nemo satis eas pro meritis celebraverit. Nos ne in fœcundissima materia Lectorum prorsus jejunum dimittamus, neque tamen institutæ brevitatis limites transiliamus, ea solummodò hic beneficia referemus, quæ tantus Monarcha Ordini nostro contulit, quibûsque æviternam gratitudinem nostram jure promeruit.

Cæsaris fama
latissimè propa-
gata.

VII. Religiosissimo huic Cæsari antiquissimum semper fuit omnes Sacerdotes, præcipuè tamen Regularium Ordinum alumnos non solum observantissimè revereri, & in eorum occursum (magna sanè dignatio, quâ plurimi confunduntur, qui superbiæ typhò inflati religiosas personas contemnunt) Imperiale Caput officiosè aperire, verum etiam quibûsunque posset beneficiis fovere, augere ac protegere: quamvis autem omnes promiscuè tantæ pietatis affectu complecteretur, peculiari tamen quadam propensione Ordinem nostrum excoluit, cujus Institutum, Redemptio nimirum captivorum, quò hætenus in suis amplissimis ditionibus caruerat, cum ei impendiò probaretur, nihil non egit, ut opus tam utile ac necessarium Provinciis suis implantaret, illudque in sua Viennensi Metropoli stabilitum subinde pro temporis opportunitate in alias urbes derivaret, oppidò semper lætari solitus,

Ordinis nostri
Summus Benefactor.

Pro construenda nostra
Ecclesia Viennensi fundum
donat.

1705.

Primum fun-
damentalem
Lapidem pro
eodem ponit.

Subsidia pro-
curat.

Frequens ad
nos accessus.

Officia SS. PP.
NN, ut Brevia-
rio infereren-
tur, obtinuit.

Auctor ut Il-
laviense Cœ-
nobium fun-
daretur.

Posoniensem
Conventum
confirmat :
Pragensem
urget.

Redemptioni
captivorum
favet.

A cœnobio
nostris iusta
persoluta.

quando Majestatis Suae Auctoritate adversantes nobis difficultatum procellas compresserat, ut tunc non tam nobis, quam sibimetipsum assertam malaciam gratulari videretur. Et ille quidem hunc suum erga Ordinem nostrum affectum multo pluribus argumentis declarasset, si perpetuae bellorum tempestates ejus ærarium non ita exhausissent: Fundum tamen ipse nobis amplissimum pro construenda Viennensi nostra Ecclesia liberaliter donavit, in quo & Cœnobii pars maxima consistit. Primum Fundamentalem Lapidem pro eadem Ecclesia Augustâ Dexterâ ponere ipse dignatus est, & ut opus assurgeret celerius, subsidia non contemnenda suppeditavit. Aliorum etiam culpis in nostrum subsidium conversis, quando delictum cujusdam viri nobilis, quod mortis pœnam merebatur, multâ pecuniariâ punivit, quod nobis deinde ex assè transcripsit. Ut jam non referam, quam ipse ædificatâ postmodum Ecclesiâ Sua Præsentiâ nos honoraverit, Ordinisque Festivitates Augustissimâ Suâ Personâ condecoraverit.

VIII. Illud ad singulare universi Ordinis Trinitarii cellit ornamentum, quando ob devotionem, quâ Sanctos Fundatores nostros JOANNEM & FELICEM prosequeretur, ab INNOCENTIO XII. Pontifice Maximo obtinuit, ut eorum officium Ecclesiasticum per totum terrarum orbem de præcepto celebraretur, quam ille causam sua potissimum Auctoritate evicit, scriptâ in hunc finem ad Oratorem suum Principem Antonium Florianum Liechtensteinium luculentâ epistolâ.

IX. Illaviense Cœnobium ut a D. Georgio Szecheniô Archiepiscopo Strigoniensi tantâ munificentia conderetur, LEOPOLDUS MAGNUS Cæsar præcipuus Auctor fuit, ut ejusdem ad Archiepiscopum eundem testantur exaratæ Litteræ, ipsæque Szechenius idem in Diplomate suo disertis verbis fatetur.

X. Posoniensem conventum nostrum Regia Confirmatione stabilivit. Pragensem verò tertia ante obitum die suis mandatis solidavit & fulcivit, ut paulò superius in decursu hujus anni recensuimus; plura facturum in Ordinis incrementum, si vita superstitè pacatiora tempora nactus fuisset.

XI. Præcipuò tamen studiò ferebatur in Redemptionem captivorum, quod ille Institutum mirificè semper probavit, eique augendo Augustæ Conjugi ELEONORÆ, suapte ad hoc opus propensæ, persuasit, ut Nobilium Crucigerarum oblationes quotannis in captivorum Redemptionem erogarentur, quarum Ipse Solemnis assistens centum aureos nummos singulis vicibus ad offerentium incitamentum, & uberius captivorum solatium largiri consuevit.

XII. Tantis a Faventissimo Cæsare cumulati beneficiis, quibus nulla par est, nec esse potest nostra gratitudo, pro aliquo hospitio tam insignium beneficiorum præter multa sacrificia, quæ ad aras litavimus, in omnibus etiam hujus nostræ Provincie Ecclesiis Regiis ejus Manibus Solemnibus inferiis parentavimus, Sacro nimirum cantatō & Dictione funebri, quâ Defuncti Imperatoris merita, & laudes prædicabantur. Id ipsum etiam peculiariter præsti-

præstitit recens in nostra Ecclesia Viennensi instituta Sodalitas Sanctissimæ TRINITATIS, quæ Nobilissimo huic membro suo & Protectori extrema iusta summo splendore persolvit. Manet igitur, & in ævum manebit Gloriosissima tanti Monarchæ nobis Memoria in insculpta pectoribus, infixâque medullis, & ad feram propagata posteritatem nunquam oblietterabitur. Debetur id meritis his ac innumeris aliis Clementissimi Cæsaris beneficiis, de quo id jure affirmare possumus, quod alter nonnemo scripsit: *Hanc unam a Te habemus injuriam Cæsaris Mæcenæ ter Optimè, ter Maxime, effecisti, ut aterna Tui memoriâ lassati vivere & mori cogemur ingrati.*

1705.

Item peculiariter a Contrahente.

CAPUT XVII.

Obitus D. Ladislai Episcopi Nitriensis, Regni Hungariæ Cancellarii, Nostri Comaromiensis Cœnobii Fundatoris.

I. **P**OST quinque dies ab excessu Augustissimi LEOPOLDI MAGNI Imperatoris VI. Idus Maji Funeris confortiô luctum nobis geminavit pia mors Reverendissimi & Excellentissimi Domini Fundatoris cœnobii nostri Comaromiensis D. Ladislai Episcopi Nitriensis & Regni Hungariæ Cancellarii. Alternis fatis ita properantur ad urnam caducæ res mortalium. Lenta infirmitas pleurumque mortem accelerat, senioribus præsertim, quibus ex communi adagio Senectus ipsa morbus est. Et quid ego de senioribus loquor? Omnibus sanè mors singulis momentis insidiatur; omnes siquidem nascentes morimur, morituri vivimus omnes. Id ipsum non tam de se, quàm de omnibus mortalibus Piissimus Job fatetur, dum ait: *de utero translatus ad tumulum.*

Mundana omnia tendunt ad interitum.

Job, cap. 10. v. 19.

II. Fidelis itaque hic DEI famulus octo mensium decursu inter gravissimas ægitudinis molestias decubuit, ætate pariter fatiscens quasi aurum in igne probatus, ut nitidiorem animam ad astra transmitteret. Et ille quidem vitæ jam satur ob quotidianas eo tempore patriæ suæ clades, vulnera & calamitates ultimæ necessitatis horam a DEO præstolabatur, quam cum ex defectu virium propius adesse sensisset, cognovissetque ex corporis imbecillitate vocantis Domini nutum, paratior ut cœlesti sponso occurreret, mundissimum paravit in anima Divinæ Majestati Domitium, conscientiamque suam saluari poenitentia frequentius expiavit, & quoscunque quantumvis leves animæ nævos in se observavit, eos protinus in aqua & sanguine, de fontibus Salvatoris haustis, eluit quàm exactissimè. Sumptò deinde ad iter æternitatis sacro Viaticò, & Sacro Oleò ad eliminandas defectuum suorum reliquias, ad supremamque cum morte luctam inunctus omnes cogitationes suas ad cœlestia transtulit, & humanarum rerum pertæsus cum Superis deinceps conversari voluit.

Dilatorna Episcopi ægitudine.

Ad mortem piissimè se disponit sumptis Sacramentis.

III. Tempus nunc esse, & partium nostrarum rectè arbitramur, gratitudinis officium assiduis pervigiis Beneficentissimo

4. Nostri et continuè assidue.

B b b b b

Funda-

1705. Fundatori nostro speciatim contestandi: quatuor ergo ex nostris diu noctūque sibi invicem succenturiati morienti Episcopo semper astiterunt, ut eum in suprema hac necessitate & p̄s consiliis consolarentur, & spiritualibūs colloquiis recrearent, ac denique transitum ejus suis precibūs munirent. Tandem die decima Maji, quod luculentiora signa instantis mortis apparerent, ad grabati latus utrumque nostri in genua provoluti DEUM pro decedentis anima, aut precibūs exorabant, vel salutaria ex Sacris scripturis ad fidem, spem & charitatem corroborandam monita inspirabant, vel, ut Christianus mos est, DEO egredientem animam piē commendabant. His charitatis officiis ab ingressu meridiei usque ad horam ferē nonam constanter perfuncti sunt, quo tempore Devotissimus Præsul mente integra & sensibūs animam Creatori suo in osculo pacis reddidit ætatis suæ annō quintō & sexagesimō, atque adeo par ætate Augusto LEOPOLDO Imperatori, cui etiam haud disparem vitæ finem consecutus est fidelissimus DEI, Cæsaris, & Patriæ Minister.

Obiit, Maji.

Ab Imperatore ejus obitus prædictus fuit.

IV. Paucis ante mortem utriusque diebūs fertur Augustissimus LEOPOLDUS Imperator, cū jam propē in extremis ageret, ex astante Eminentissimo Cardinali Kolloniczio sciscitatus fuisse, ut valeret Nitriensis Episcopus? Cui postquā Cardinalis respondisset, eum diuturna ægitudine exhaustum viribūs notabiliter destitui. Subjunxit Imperator: *Regem in æternitatem ocyus sequetur Regni Cancellarius.* Vaticinio simillimum dictum, cujus veritatem exitus post paucos dies comprobavit.

Reliqua vita.

Natales.

Studia.

Romæ Doctoris laureæ consecutus.

Ecclesiastica munia & Dignitates.

V. Sed quoniam mortem tam insignis Præsulis succinctō jam calamō descripsi, nihil abs re fecero, nec extra viam magnopere ivero, si diverticulum isthoc capeſſam, atque in Lectorum gratiam ejus reliquam vitam brevibūs delineem ex diversis notiitiis, quas mihi suppeditavit Magni illius viri & Episcopi in tertio consanguinitatis gradu cognatus, Illustrissimus nempe Dominus Elias Beneczus Sacræ Cæsareæ Regiæque Catholicæ Majestatis Consiliarius; est autem ferē hujusmodi: Ladislaus Mattyassowski fuit oriundus e Comitatus Lyptoviensis Pago Mattyassovicz dicto, utrinque ex Nobilibus vetustorum stemmatum Parentibus, Patre quidem Georgio Mattyassowsky adhuc in viridi ætate nocturno tempore a prædonibus interempto. Matre verō Sophia Horanszky Stanislai quondam Horanszky filia. Noster igitur Ladislaus ante tempus patre orbatus primis litterarum elementis in trivialibus ludis imbutus, tandem sublimioribūs artium doctrinīs excolendus se Tyrnaviam contulit, ibidēque absoluto Cursu Philosophico Divini Numinis instinctu ad Statum Ecclesiasticum vocatus Romam se contulit, ubi in Collegio S. Apollinaris Sacrosanctæ Theologiæ Lauream obtinuit. Demum ex illo omnigenæ eruditionis Imperio Annō salutis 1666. in patriam redux postquā ejus temporis Archi-Episcopo Strigoniensi Georgio Szelepchenio aliquamdiu in Sacellani munere servivisset, Parochialibus munitis Szeredini juxta Fluvii Vagi marginem obeundis adnotus fuit, ubi Divini verbi præconio non sinē ædificatione multarum anima-

animarum & inculpatae vitae laude incubuit. Post hæc ad altiores honores promotus primùm quidem Pofonii in Collegiata, deinde verò in Strigoniensi Metropolitana Ecclesia Canonici dignitatem adeptus est; fuit etiam Archi-Diaconus in Diœcesi Nitriensi, & titulum Abbatis S. Helenæ de Madocza obtinuit. Sub Georgio Szechenio Archi-Episcopo Strigoniensi Vicarii Generalis officium administravit idque magna scientiæ & integritatis commendatione. Transiit demum virtutum ac meritorum gradibus evectus ad Præposituram S. Martini in Scepusio cum charactere Electi Episcopi Temnensis, ubi aliquot annis commoratus rem Sacram simul & œconomicam ibidem jamjam labascentem tanta dexteritate tractavit, ut, quod antehac seu temporum injuriis de jure dictæ Præposituræ decessit, seu Regularis administrationis defectu imminutum fuit, sua sollicitudine cumulatissimè refarciêrit. Cùm autem Civitas supra montem posita nequaquam occultari valeret; placuit LEOPOLDO I. Augustæ memoriæ Imperatori pia integri viri Conversatio, placuere pariter diversa ejusdem eruditionis & doctrinæ monumenta, placuit denique tontoperè recondita politicarum & juridicarum rerum cognitio, ut post pium Blasii Jaklin Episcopi Nitriensis & Cancellarii Regni Hungariæ ex hoc mundo transitum ad eundem Episcopatum sublimari meruerit, addito quoque Cancellarii munere, quod ab Antecessoribus Episcopis pridem fuerat administratum. Quod officium ille absque ulla falsus suspitione totò decenniò sanctissimè obivit; justitiæ stateram ita moderatus est, ut nunquam in libramine ejusdem defectus quispiam comperiri valuerit.

VI. Demum cùm sentiret corpus suum diversorum morborum infestationibus oppugnari; & quidem hinc arthritide cum paralyfi junctâ, illinc verò tympanitide cum asthmate suffocativo copulata, faciliè præfagire potuit, ingratos hospites istos mortis sese insinuantis infallibiles esse prodromos. Ut ergo Cœlum sibi propitium redderet, universam substantiam suam in pauperes divisit; nonnullis enim sacris Ordinibus, ut Religiosorum hominum precibus ejus anima adjuvaretur, opimas instituit Foundationes: & quidem Patribus Ordinis S. Francisci Minorum Okolicensibus, ad Provinciam S. Salvatoris spectantibus, conventum Vago fluvio vicinum, jamque in rudera desinentem pristino nitori restituit. In natali demum solo suo, pago videlicet Matyassowicz Xenodochium optimè dotatum fundavit. Vallem postea Auxilii seu Carthusiam S. Antonii de Lechnicz PP. Camaldulensibus, ut perpetui Asceterii nomenclaturam retineret, immāni sumptu e manibus sæcularium exemptam, jure perpetuo transcripsit. Societati insuper JESU, præter ea, quæ in vivis eidem affatim elargitus est, foundationem insignem ad collegium Szegedini erigendum constituit, sub hac tamen conditione, si ibidem tutastatio ab invasione Turcarum maneret; quod si autem urbs illa a barbaris aliquando occupanda timeretur, decrevit, ut hæc fundatio cederet in perpetuam sustentationem decem Patrum Missionariorum ex eadem societate JESU. Deinde Patribus qui a Scholis

Infirmis.

Foundationes.

1705. piis nomen habent, adhuc vivus jacto fundamentalis Nitriæ lapide collegium stabilivit. It ut eò melius doctrinæ salutaris furculi radices agerent, convictu etiam Nobilium locupletavit. In eadem porro Civitate Seminarium Clericorum sub Protectione S. Ladislai Regis Hungariæ ubere cum proventu plantavit. Et, ut has omnes pias ipsius Foundationes Sanctissima TRINITAS unus DEUS in perpetuum conservare dignaretur, Ordini nostro Conventum in Hungaria, qui nunc est Comaromiensis, erigendum in ultimis suis tabulis ordinavit. Postea, ut & Familiæ suæ jam a compluribus sæculis florenti, ex accessionibus reddituum, & bonorum immobilium incrementis major nitor & decus accederet, Fratrueli suo Georgio Mattyassowsky arcem Lednicz cum amplissimo Dominio reliquit. His omnibus ritè dispositis ad iter æternitatis ineundum se paravit, ut superius jam memoravimus.

Sepultura.

VII. Apparatum funebrem perquam humilem esse voluit, vir verè Apostolicus, qui in omni vita sua mundanam pompam infensissimè oderat. Corpus ejus die duodecima ejusdem mensis Maji post Solis occasum ad templum Domus Professorum Societatis Jesu Sandapilario currum devectum ibidem in conditorio æquè humili requiescit in pace, cujus piissimam animam, omnium siderum altitudinem dudum supergressam fuisse, minimè dubitamus. Cæterum ad perpetuam Tanti Præfulis de nobis optimè meriti memoriam in nostro Cœnobio Comaromiensi marmorea extat tabula infra fenestram ad gradus marmoreos, quibus ad dormitorium ascenditur, cui uncialibus litteris sequens insculpta legitur inscriptio:

Memoria in
Conventu no-
stro Camaro-
miensi.

D. LADISLAO EPISCOPO NITRIENSI
HUIUS DOMUS FUNDATORI BENEMERITO,
UT EJUS AD ARAS JUGIS FIAT MEMORIA,
HOC POSITUM EST MONUMENTUM.
ANNO DOMINI M.DCC.XXXIII.



AN.